




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Constitutiones Et Decreta Apostolica

Coloniæ Agrippinæ, 1679

urn:nbn:de:hbz:466:1-42459




n. 2399.

G. I


32.





II
ob.





II
ob.

vgl 821




CONSTITUTIONES
ET
DECRETA
APOSTOLICA

Præcipuè utilia hoc tempore adver-
sus quosdam abusus in materia
Fidei, & Morum.

QUIBUS

*Præfigitur Epistola pastoralis Epis-
copi CASTORIENSIS.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Typis JOAN. WILHELMI FRIESSEMI,
M. DC. LXXIX.

Superiorum Permissu.

Socijs Jesu

ON THE
DIEBENT A-
APOSTOLICA

...
...
...

...
...
...

...
...
...

...
...
...

JOANNES

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus
Castoriensis, Vicarius Apostolicus, Clero
& Populo in Fed: Belgio Catholicis; re-
cta sapere, & de veritatis consolatione
gaudere.



Alvator & Magister Noster JE-
sus-CHRISTUS, per Antistitem,
Presbyterorum, Religiosorum,
& Fidelium preces, qui diu do-
luerunt aliquorum opinionibus
Catholicam obscurari Fidem, Ec-
clesiam inhonorari, mores corrumpi, pacem-
que turbari, misericorditer exoratus aperuit
os sui in terris Vicarii, S. D. N. Innocentii
XI. (& aliorum Pontificum) ut sexaginta quin-
que propositiones (& alia quadam) tamquam
scandalosas & in praxi perniciosas (& aliis cen-
suris gravioribus) condemnaret, & sub Excom-
municationis pœna præciperet, ne quis illas
(aliaque condemnata) vel in libris, vel in thesi-
bus, vel in sermone ad alium finem auderet
allegare, quàm ad eas impugnandum, atque
illarum (ceterorumque) perniciem Fidelibus
exponendum.

A 2

Pec-

Peccarem, RR. Viri & Fratres charissimi, in illam devotionem, quâ Christi Vicarium veneramini, si vos arbitrarer monendos, ut ejus definitioni vestros sensus subjiceretis.

Lib. 3. cap. 3. Creditis cum Irenæo eis, qui sunt undique fideles, necesse esse ad Romanam Ecclesiam propter potentiorum ejus sive in profligandis erroribus, sive in asserenda veritate principalitatem religiosè convenire. Vos nullum primum nisi

Ep. 57. ad Damasum. Christum, cum Hieronymo sequentes, beatissimo Patri Nostro Innocentio XI. (& aliis pro tempore Pontificibus Romanis) id est, Cathedræ Petri, communionem fidei ac doctrinæ consociamini, scientes super illam Petram edificatam Ecclesiam, eosque omnes qui extra hanc domum agnum comederint, esse prophanos. Vos nullis privatis scriptoribus & opinatoribus adhærentes pro reverentia Apostolicæ Sedis, ad quam, teste

Epist. 55. Hiero. ibid. Cypriano, perfidia non potest habere accessum, cum eodem Hieronymo nescitis Vitalem, Melitium respuitis, ignoratis Paulinum, persuasi cunctos spargere, qui cum Romano Pontifice non colligunt, hoc est, qui Christi non sunt, esse Antichristi. Sicuti enim in rebus controversis ad Romanorum Fidem Apostolico ore laudatam pro antiquo more recurritis, inde cum Episcopis Ter-

Ep. ad Hilarium Patrum. raconensibus responsa prudentissimè quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur, ita etiam cum

Epis-

5

Episcopis Dardaniæ Apostolicæ & singulari Sedi Epist. ad Ge- lasi- pam
communi fide & devotione parere contenditis. De-
mum consentitis S. Bernardo ad Romanum Ad In- nocen- Pamam Epist. 190.
Pontificem scribenti his verbis : Oportet ad ve-
strum referri Apostolatum pericula quæque & scan-
dala emergentia in regno Dei , ea præsertim quæ de
fide contingunt ; dignumque arbitror ibi potissimum
resarciri damna fidei , ubi non possit fides sentire
defectum. hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cum
huic unanimi Sanctorum Patrum Doctrinæ
atque Apostolicæ Traditioni devotum præbe-
atis assensum , non est quod vos doceam , quæ
summo in terris Pastori , ejusque sanctionibus
obedientia debeat. Vos tamen orandos mo-
nendosque existimo , ut quemadmodum sum-
mi Pontificis amplectimini doctrinam , ita
quoque illius imitemini discretionem quâ sæ-
viit in errores , & dilexit errantes , pernicio-
sa dogmata , ne incautis obrepere possent , sin-
gulatim designans , malè docentium nomina ,
ne ignominia afficerentur , amanter filens
(quantum poterat) Si hanc S. D. N. discre-
tionem erroribus infestam & hominibus amicam
æmulemini , sicut est mihi justum hoc sentire pro
omnibus vobis , studiosissimè cavebitis , ne oc-
casionem damnatæ doctrinæ unus adversus alte-
rum infletur , quod ipse eam velut noxiam sem-
per fuerit insectatus , ille sicut utilem aliquan-
do fuerit complexus ; ipse steterit in veritate ,
ille

ille jacuerit in errore. Scitis enim esse benè
stantis in veritate, jacentem piè erigere, &
erecto congratulari: esse autem abutentis ve-
ritate errantes irridere, & contemnere resi-
piscientes; neque etiam eos congaudere trium-
phanti de erroribus veritati, sed gaudere super
iniquitate, quicumque gaudent, non quia fra-
ter ab errore liberatus est, sed quia frater ob
præteritum errorem confusus est.

Ut ergo Fidei sua gloria, Ecclesiæ suus ho-
nor, moribus sua integritas, paci sua tranquil-
litas, & antiquæ Doctrinæ suus cultus per
Bullam S. D. N. semotis altercationibus resti-
tuatur; cogitent qui damnatis opinionibus ad-
hæserunt, nihil *gloriosius esse*, teste Augustino
quàm subjici & vinci à veritate: vel potius co-
gitent, non se victos esse sed instructos: *Non*
enim vincimur, inquit Cyprianus, *quando nobis*
meliora offeruntur, sed instruimur; maximè in his
quæ ad Ecclesiæ unitatem pertinent, & spei & fidei
nostra veritatem.

Illi verò qui proscriptæ doctrinæ defensori-
bus sese opposuerunt, cogitent, *non bonum*
hominis esse hominem vincere, sed bonum ho-
minis esse, de veritate gaudere: Beata quippe
vita est gaudium de veritate. Demum utrique
cogitent *communem omnibus esse veritatem; non*
esse meam, nec tuam, non esse illius qui illam
prius cognoverit, aut istius qui illam posterius

reccs

receperit; ⁷ sed omnivus esse communem. De Comuni ergo bono non singulariter, sed communiter exultemus, collaudantes Deum nostrum, qui ad ejus communionem nos publice vocat, dum per suum in terris Vicarium, fugatis humanarum opinionum tenebris, Evangelii sui lumen clementer ostendit, ut illud sequentes, illudque amantes perveniamus ad regnum, in quo rex veritas, lex charitas, & duratio æternitas. Hoc votum.

Viri Reverendi & Fratres charissimi.

Hussæ 8. Aprilis
1679.

Vestri in Christo Famuli
J. Epi. Cast. V. A.



S. D. N.

Pii Divinâ providentia Papæ V.

Constitutio adversus errores Michaëlis Baii &
aliorum : Postea confirmata à

GREGORIO XIII. & URBANO VIII.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.



X omnibus afflictionibus, quas, in hoc loco à Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana tantis jam pridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christi que populus antiqui hostis suggestione dissectus, in alios, atque alios errores passim, & promiscuè deferatur: Quantum verò ad Nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ simul atque profiliunt, penitus opprimantur: Magno enim mœrore afficimur, quòd plerique, spectatæ alioqui probitatis, & doctrinæ in varias sententias, offensionis, & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt; deque eis, etiam in Scholis, invicem controversantur; cujusmodi sunt sequentes.

I. Nec

1. Nec Angeli, nec primi Hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex naturâ suâ est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex naturâ suâ est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo Homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

4. Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege nature ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione factâ Angelo, & primo Homini continetur naturalis justitiæ constitutio, quâ pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in quâ mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ non rectè vocantur gratia; quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi, nulum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan, non improbandâ ratione,
pos-

possunt dici gratia ; sed quia secundum usum sacrae Scripturae , nomine gratiae , ea tantum munera intelliguntur ; quae per JESUM CHRISTUM male merentibus , & indignis conferuntur , ideo neque merita , neque merces , quae illis redditur , gratia dici debet.

10. Solutio poenae temporalis , quae , peccato dimisso , saepe remanet , & corporis resurrectione , proprie non nisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie , & juste in hac vita mortali , usque in finem , conversati , vitam consequimur aeternam , id non proprie gratiae Dei , sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutae , justo Dei judicio deputandum est ; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur , sed tantum ad primam institutionem generis humani , in qua , lege naturali constitutum est , ut justo Dei judicio obedientiae mandatorum vita aeterna reddatur.

12. Pelagii sententia est , Opus bonum , citra gratiam adoptionis factum , non est Regni Coelestis meritorium.

13. Opera bona a filiis adoptionis facta , non accipiunt rationem meriti ex eo , quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei , sed tantum ex eo , quod sunt conformia legi , quodque per ea praestatur obedientia legi.

14. Opera

14. Opera bona Justorum non accipiunt in die Judicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui benè operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; sed in eo solùm, quòd obedit Divinæ legi.

16. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut fides, & poenitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera Justitiæ, & Temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex naturâ suâ veniale, sed omne peccatum meretur poenam æternam.

21. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum
Apo-

Apostoli ad Romanos 2. Gentes qua legē non habent, naturaliter, qua legis sunt, faciunt, intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis, & ociosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt, & latrones, qui Christum, viam, & Ostium veritatis, & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde, quàm
per

per ipsum in viam justitiæ (hoc est aliquam justitiã) conscendi posse docent.

30. Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab eâ non superetur.

31. Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bonâ, & fide non fictâ, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demùm percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris Litteris, & plurimis veterum testimoniis, excogitata.

35. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur ex solâ philosophiâ, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuriâ Crucis Christi

Christi defenditur à nonnullis Doctõribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.

39. Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato.

42. Justitia, quâ justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientiâ mandatorum, quæ est operum Justitia, non autem in gratiâ aliquâ animæ infusâ, quâ adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè vivere, & Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio; separata tamen à remissione peccatorum.

44. Ope-

44. Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non aliâ ratione est Sacrificium, quàm generali illa, qua omne opus, quod fit, ut Sancta societate, Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem, & diffinitionem peccati non pertinet voluntarium; nec diffinitionis quæstio est, sed causæ, & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis verè habet rationem peccati sine ullâ relatione, ac respectu ad voluntatem, à quâ originem habuit.

48. Peccatum originis est, habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eò quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt

sunt prohibita præcepto , *Non concupisces.*

51. Concupiscentia , sive lex membrorum , & prava ejus desideria , quæ inviti sentiunt homines , sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis , ut suum authorem , & omnes posteros eo modo inficere possit , quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis , tantum meritorum malorum à generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis , quàm qui cum majoribus.

54. Diffinitiva hæc sententia , Deum homini nihil impossibile præcepisse , falsò tribuitur Augustino , cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem , qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt ; actus , & reatus ; transeunte autem actu , nihil manet nisi reatus , sive obligatio ad poenam.

57. Unde in Sacramento Baptismi , aut Sacerdotis absolutione , propriè reatus peccati dumtaxat tollitur ; & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.

58. Peccator poenitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis , sed à solo Deo , qui poenitentiam suggerens , & inspirans , vivificat eum , & resuscitat ; ministerio autem Sacerdotis solùm reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas , aliaque poe-

ni-

nitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliquâ ex parte, redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis, liberemur.

61. Illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum; altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est, & explodenda.

62. Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium Regni æterni, eò quòd fit à vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed & illa distinctio duplicis justitiæ,

B

al-

alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ divinæ Legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item, & illa distinctio duplicis vivificationis; alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, quâ vivificatur, qui verè justificatur & palmes vivus in Vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens.

65. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessariò facit.

68. Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.

70. Ho-

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfectâ, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino Justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde, & Iob, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut, & aliorum Justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut, & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ, sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupisces*; Unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, *Non concupisces*; quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

B 2

76. Quan-

76. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

77. Satisfactiones laboriosæ Justificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi Hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est Doctorum sententia, primum Hominem potuisse à Deo creari, & institui sine Justitiâ naturali.

Quas quidem sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quamquàm nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensivam immittentes, respectivè, ac quæcumque super iis verbo, scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus; deque eisdem, & similibus posthàc, quoquo pacto, loquendi, scribendi, & disputandi, facultatem quibuscumque interdiciamus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, Vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo, nullus Romano
Pon-

Pontifice inferior, valeat ipsos excepto mortis articulo, liberare Datum Romæ apud Sanctum Petrum. An. Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Kalendis Octobris, Pontificatus Nostri Anno secundo.

M A N D A T U M A P O S T O L I C U M

Olim jussu S. D. N. Sixti V. editum per Illustrissimum & Reverendiss. D. Octavium Episcopum Calatinum Nuntium Apostolicum, & Lovanii anno M. D. LXXXVIII. 10. Julii promulgatum.

Occasione CENSURÆ, quam tulerat Facultas S. Theologiæ Lovaniensis contra Assertionones quorundam S. Theol. Professorum Societatis Jesu Lovanii: quæ demum CENSURA, cum suâ JUSTIFICATIONE, quinquaginta quatuor post annis, hoc est, anno 1641. in lucem prodiit, typis, ut prætexebatur, Parisiensibus excusa, & multò post, hoc est, anno 1675. etiam Lovaniensibus typis recusa; sed pariter & locum impressionis Parisios, & annum 1641. mentita.

OCTAVIUS Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Calatinus S. D. N. Domini Sixti Divina providentia PP. V. ejus-

demque sanctæ Sedis in Coloniensis, Moguntinensis, Argentinensis, Spirensis, Wormatiensis, Monasteriensis, Osnaburgensis, Paderbornensis, Leodiensis, Luxemburgensis & inferioris Germaniæ & Belgarum Provinciis, Civitatibus, & locis omnibus, etiam Duci Clivenfi, & Juliacensi subjectis, Nuntius cum potestate legati de latere: Universis & singulis, præsentibus nostri Edicti litteras visuris, lecturis, & auditoris, Salutem in Domino sempiternam.


Etsi diversorum hominum diversæ sint, discrepantesque sententiæ; quamdiu tamen fide & dilectione Deo adhærent, estque eorum quasi cor unum, & anima una sub uno invisibili duce, & Capite Christo, ejusque Vicario Divo Petro, aliisque deinceps Romanis pontificibus ejus legitimis successoribus, non solum suprema illa gradus & officii dignitate à Christo Domino in eos perpetua successione derivata, corporis & sanguinis Domini alimonia (ut ejus spiritu vegetentur) in uno Ecclesiæ ovili reficiendi sunt, sed illa etiam jurisdictionis auctoritate terribili, cujus potestas coelos quoque penetrat, & quidquid in terris est, subjectum habet; cui Christus ad servandam unitatem (cujus ipse author est) parendum esse sanxit; ita in religionis Christianæ officiis continendi sunt, ut unam fidem, unum baptisma, unum Deum

ac Dominum venerantes & colentes, in eodem sensu eademque sententia concordēs id ipsum dicant, & sapiant, nec ullis doctrinæ diffidiis lacerentur, aut ullo schismate, ullave sacrilega separatione, ab hac unitate spiritus, pacisque vinculo divellantur. Cùm igitur Coloniæ commorantes quosdam opinionum dissensiones ortas esse cognoverimus inter Universitatis Lovaniensis Theologos, & Sacerdotes *Societatis Jesu Lovanii* Theologiam profitentes, super quibusdam sanæ doctrinæ articulis, quibus fidelium unitas scindi, ac Christi corpus lacerari posset, nisi maturè sapienterque occurratur: eas non solum S. D. N. Sixto PP. V. sanctæque sedi Apostolicæ significavimus, ut tam periculoso diffidio obviam iretur: Sed qua potuimus diligentia litteris propriis utramque partem monuimus, obsecravimusque, ut disceptationibus hujusmodi, quoad sua Sanctitas quæstiones controversas definierit, tum verbo, tum scripto, desisteretur: quod ut faceremus, Apostolico mandato ad nos directo iussi sumus; præsertim cùm nulli (nisi successori Divi Petri Pontifici Romano) liceat doctrinæ Christianæ res controversas definire. Et quamvis partes ipsæ cohortationes nostras non recusaverint, humilesque ac obedientes coram nobis Lovanii residentibus. Suxæ San-

ctitati, sanctæque Sedi Apostolicæ se præbuerint; tamen cum acceperimus aliquos etiam diversorum ordinum regulares, clericosque seculares, ac potissimum studiosos, de assertionibus, de quibus controversia est, inter dictæ Universitatis Lovaniensis Theologos, & Sacerdotes *Societatis* JESU sacram Theologiam profitentes, tam pertinaciter pro alterutra parte contendere, & temeritate quadam in suis concionibus, lectionibus, disputationibus, scriptisque privatis alterius partis sententiam damnare, quam sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum magistra, salutaris disciplinæ doctrix non damnavit; & quos tumultuantes atque dissidentes componere, sedareque satius foret, eos indiscretæ devotionis obtentu, vel potius loquacitatis, & ostentationis affectu, studio partium, ad tumultus, simultatesque concitare. Prædictorum omnium, & singulorum temeritati, populorumque scandalo occurrere studentes, præsentibus his nostri edicti litteris statuimus, & ordinamus, ac per Apostolica scripta mandamus, ut nemo cujuscumque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat, in concionibus, lectionibus, disputationibus publicis, & privatis, aut ubicumque promiscua virorum ac mulierum multitudo convenire solet, de his assertionibus controversis in alterutram partem

tem ita disputare, rationibus vel Doctorum auctoritate unius partis assertiones confirmare, alteriusque refellere, aut impugnare, vel cujusvis pietatis, aut necessitatis prætextu, de his loqui, scribere, vel dictare in posterum attentet, ut ausu temerario eas hæreticas, suspectas, offensivas, & periculosas esse; & qui eas asserunt alicujus hæresis labe, aut suspitione contaminatum iri, donec auctoritate Apostolica maturè definitæ fuerint, affirmare præsumat. Quod si quis contra fecerit, sciat se excommunicationis latæ sententiæ poenam (à qua nisi in mortis articulo constitutus à nullo præterquam à Romano Pontifice valeat absolvi) incurrisse, & alias poenas nobis, nostroque arbitrio reservatas subiturum. Ut autem hæ nostræ litteræ, & præmissa universa ad eorum omnium, quorum interest, notitiam pervenire possint, monemus, requirimus & obsecramus, ac in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus omnibus, & singulis Archiepiscopis, locorum Ordinariis, eorumque Suffraganeis, Vicariis, & officialibus quibuscumque, aliisque omnibus & singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, ut hujusmodi edicti litteras, singulis diocesis vel districtus, monasteriis, concionatoribus, & aliis quibuscumque expedire judicaverint, opportunè insinuent & promulgent,

gent, ac insinuari, & promulgari faciant; ne qua radix amaritudinis, & dissensionis (quod absit) per eos succrescat, per quam turbentur multi, quamque necesse sit omnino præcidi. Et ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam præmissorum possit prætere, aut se contra præmissa valeat excusare, volumus, & eadem pariter auctoritate decernimus atque mandamus, ut præsentès litteræ in locis solitis hujus oppidi Lovaniensis, & in aliis pariter legationis nostræ consuetis affigantur, & in eisdem locis per aliquot dies affixæ remaneant; quæ affixio ita omnes, ad quos spectat, afficiat & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Datum Lovanii die 10. Julii 1588. Indictione prima Pontificatus S. D. N. Sixti Divina providentia PP. V. Anno quarto. *Subscriptum erat.* Octavius Episcopus Calatinus Nuntius Apostolicus. *Et infra* Jussu Illustrissimi & Reverendissimi Domini Nuntii Apost. Joannes Masius excudebat.



S. D. N.

S. D. N.

D. U R B A N I

DIVINA PROVIDENTIA

P A P Æ V I I I .

Confirmatio Constitutionum Pii Papæ V. & Gregorii XIII. Condemnantium errores Michaëlis Baii, & aliorum. Nec non prohibitio Libri, cui titulus, Augustinus Cornelii Iansenii, olim Iprensis Episcopi, excusi Lovanii, typis Jacobi Zegeri, anno 1640. aliorumque operum, ac libellorum, occasione dicti Libri, variis in locis & variis idiomatibus impressorum.

U R B A N U S E P I S C O P U S

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Eminentis Ecclesiæ militantis Sede, meritis licet imparibus, constituti, sedulo meditamur, ut quæ, ad fidei Catholicæ conservationem, à Prædecessoribus nostris providè statuta, & ordinata sunt, firmiter perpetuò observentur; & cum opus sit, nostræ auctoritatis munimine confirmentur. Dudum
liquidem

liquidem à fel. record. Pio Papâ V. Prædeces-
fore nostro emanavit Constitutio tenoris sub-
sequentis, videlicet (a) PIUS Episcopus Ser-
vus Servorum Dei. Ad futuram rei memo-
riam. Ex omnibus afflictionibus (*sequitur tenor
Bulle Pii V. quam supra lector inveniet.*)

Deindeque piæ mem. Gregorius Papa XIII.
etiam Prædecessor noster, intellecto per eum,
non sine animi sui dolore, non defuisse tunc
temporis aliquos Theologos, tum studiosos,
tum professores, qui articulos in prædictâ
Constitutione damnatos asserere, & pertina-
citer defendere pergerent; pro officii sui mu-
nere eorundem temeritatem, atque audaciam
ad totius Ecclesiæ periculum pertinentem,
minimè contemnendam, & dissimulandam
censuit; sed ad coërcenda hujusmodi ingenia,
per aliam suam Constitutionem sub datum
quarto Kalendas Februarii Anno Incarnatio-
nis Dominicæ Millesimo quingentesimo sep-
tuagesimo nono, Pontificatus sui Anno octa-
vo, editam, Pii Prædecessoris Constitutio-
nem prædictam suâ quoque auctoritate con-
firmavit, Articulosque ibidem comprehensos,
iteratò damnavit; & ne quis hac in re constan-
tem Sedis Apostolicæ voluntatem, ac senten-
tiam ignorare possit, suam hujusmodi confir-
mationis Constitutionem, alterâ Pii V. com-
prehensâ, publicavit, & promulgavit.

Po-

Posteâ recolendæ memoriæ Paulus Papa
 V. similiter Prædecessor noster, ad tollendâ
 scandala, & dissensiones, quæ in Ecclesiâ
 Catholicâ oriebantur occasione editionis li-
 brorum, & operum de Auxiliis tractantium,
 in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ,
 & Universalis Inquisitionis, sub die 1. De-
 cembris Anni Domini 1611. coram ipso habi-
 tâ, decrevit, ut scriberetur Nuntiis Apосто-
 licis, quod notificarent, & ordinarent Supe-
 rioribus Religionum, & Universitatibus Stu-
 diorum, & Ordinariis eorum Nuntiaturæ,
 ne sinerent imprimi in materia de Auxiliis,
 etiam sub prætextu commentandi S. Thomam,
 aut alio modo; & qui vellent de hac materia
 scribere, & imprimere, prius mitterent Tra-
 ctatus, & Compositiones ad dictam Sanctam
 Universalem Inquisitionem; & in executio-
 nem mentis dicti Pauli Prædecessoris, ejusdem
 Decreti tenor omnibus prædictis per Nuntios
 respectivè fuit legitimè intimatus; Successivè-
 que ne contra prædictum Decretum aliquid
 attentari contingeret, sed scandala, & dissen-
 siones omnino cessarent, Nos in aliâ Genera-
 li Congregatione dictæ S. Romanæ, & Uni-
 versalis Inquisitionis, Feriâ quinta die 22. Maij,
 Anno Domini 1625. per aliud Decretum
 nostrum, ipsum Pauli prædecessoris Decretum
 confirmavimus, & innovavimus....

No-

Novissimè tandem accepto per Nos in Op-
pido (Civitate nuncupato) Lovaniensi, quos-
dam assertos Cornelij Jansenii olim Episcopi
Iprensis, executores, ex testamento in lucem
edi curasse Librum, cui titulus, Augustinus,
ex professo continentem, & tractantem ma-
teriam de Auxiliis, nullâ penitùs petitâ, vel
obtentâ à dictâ Gongregatione licentiâ illum
imprimendi; ejusque operis occasione Patres
Societatis Jesu, nonnullas in Civitate Antuer-
pien. de eadem materia tractantes Theses,
pariter absque licentiâ ejusdem Congregatio-
nis, imprimi curasse per aliud Decre-
tum in aliâ plenâ, & generali Congregatione
ejusdem Sanctæ Romanæ, & Unîversalis In-
quisitionis coram Nobis die primâ Augusti
proximè præteriti habitâ, inhærendo prioribus
Decretis à Paulo Prædecessore, & à nobis, ut
suprà editis, pro tunc dictum Librum Jans-
enii, cui titulus; Augustinus, Lovanii impres-
sum, nec non Theses à Patribus Societatis
Jesu Antuerpiæ in lucem editas; aliasque
scripturas in calce posterioris nostri Decreti
hujusmodi registratas, jam vigore anteriorum
supradictorum Decretorum prohibitas, de no-
vo prohibuimus, ac pro prohibitis omnino ha-
beri voluimus

Cum autem ex diligenti, & matura ejus-
dem Libri, cui titulus, Augustinus, lectione,
post-

postmodum compertum fuerit, in eodem Libro multas ex propositionibus à Prædecessoribus nostris olim, ut præfertur, damnatis, contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & auctoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi; Nos huic malo, in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & Fidei Catholicæ perniciem, vertenti, opportunum remedium adhibere volentes, Constitutionis Gregorii, ac Pauli Prædecessorum prædictorum nostrorum, nec non Decretorum hujusmodi totos, & integros tenores, ac Datas etiam veriores præsentibus pro totaliter expressis, & insertis habentes, Motu proprio, & ex certâ scientiâ nostrâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hâc perpetuò valiturâ Constitutione ejusdem Pii, & Gregorii Prædecessorum, hujusmodi Constitutiones prædictas, omniaque, & singula in eis contenta, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium, perpetuò confirmamus, & approbamus; Librumque prædictum, cui titulus est, Augustinus, Articulus, opiniones, & sententias in dictis Constitutionibus reprobata, atque damnata, ut à Nobis compertum est, continentem, & renovantem; aliaque omnia Opera præsentibus nostris litteris subinserta, quæ aliis sub posteriori Decreto nostro prædicto registratis, per præ-

præsentes addimus , atque adjungimus , eadem auctoritate , per præsentes omnino prohibemus , ac pro vetitis , & prohibitis haberi volumus , & mandamus . Jubentes insuper sub omnibus pœnis , & censuris in prædictâ Constitutione Pii Prædecessoris , contentis (à quibus nullus Romano Pontifice inferior , excepto mortis articulo , absolvere contrafacientes possit) ne quis cujuscumque conditionis , & qualitatis sit , etiam speciali , & specialissimâ notâ , & expressione dignus , de prædictis , ut suprà , damnatis , & in prædicto Libro contentis , aliisque (ut infra) subinfertis , Articulis , Opinionibus , sententiis , libellis , orationibus , scripturis , Epistolis , Thesibus , quoquo pacto loqui , scribere , & disputare audeat , Librumque , & alia prædicta penes se retinere , vel legere præsumat Opera verò addita aliis , in calce posterioris nostri Decreti , ut præfertur , registratis , & prohibitis , sunt , sequentia , videlicet , Liberti Fromondi Sacræ Theolog. Doctoris &c. Brevis Anatomia hominis , Lovanii apud Jacobum Zegers &c. Anno 1641. Conventus Africanus , sive disceptatio judicialis apud Tribunal Præsulis Augustini &c. enarratore Artemidoro Oneirocritico A Rouen Chez Nicolas de Montaigne anno 1641. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis ,

ap-

approbationis, additionis, adjunctionis, prohibitionis, jussionis, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo primo. Pridie Nonas Martij, Pontificatus Nostri Anno Decimo nono.

E. D A T.

Visa de Curia P. Gentilis.

F. Morolus.

P. Ciampinus.

ANno à Nativitate D. N. JESU-CHRISTI Millefimo sexcentesimo quadragesimo tertio, Indictione undecimâ, die verò 19. Junii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. URBANI Divinâ Providentiâ Papæ VIII. Anno ejus vigesimo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe & Cancellariæ Apostolicæ, atque in Acie Campi Floræ, ut moris est, per me Io. Baptistam Ricium, ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ, ac Sanctæ Inquisitionis Cursorem.

C

S. D. N.

URBANI Divinâ Providentiâ

Papæ VIII. Decretum, quo exponitur, quid Romæ actum, ad asserendam veritatem Bullæ *in eminenti* adversus Augustinum Corn. Jansenii.

Feria V. die XVI. Junii M. DC. XLIV.

In Generali Congregatione S. Romana & universalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico apud S. Petrum, coram Sanctissimo Domino nostro D. Urbano Divinâ providentiâ Papâ VIII. ac Eminentissimis & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hereticam pravitatem in totâ Republicâ Christianâ Generalibus Inquisitoribus à Sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

CUm post publicatam Bullam Sanctissimi Domini nostri contra librum Cornelii Jansenii, olim Episcopi Iprensis, cui titulus Augustinus, excitatæ fuerint variæ difficultates occasione diversitatis exemplarium Bullæ præfatæ, & aliorum, de quibus in nonnullis libellis divulgatis: cumque per Joannem Sinichium, & Cornelium Papium Doctores Universitatis Lovaniensis fuerint præsentatæ litteræ ejusdem Universitatis, nec non porrectus supplex libellus Sanctissimo Domino Nostro

stro pro dictæ Bullæ veritate, & intentione Sanctitatis Suæ circa illam indagandâ: Idem Sanctissimus litteras & libellum præfatum Sacre Congregationi Supremæ & universalis Inquisitionis remisit, ut per eam de contentis in illis informaretur, prout successivè informatus mandavit per Eminentissimos ac Reverendissimos DD. Cardinales Bernardinum Spadam, Joannem Baptistam Pamphilium, & Lælium Falconerium, tres ex Supremis Inquisitoribus, antedictos Sinichium & Papium audiri, & deinde Sanctitati suæ ab eis deducta referri. Qui quidem Domini Cardinales, in executionem dicti mandati, præfatos Doctores verbo & scripto, multa deducentes, tum congregatim, tum privatim audiverunt, eaque omnia in præfatâ supremâ & universali Congregatione prius communicata, ac ibi pluries discussa, una cum voto ipsius Congregationis Sanctissimo Domino Nostro diligentissimè retulerunt. Sanctitas verò Sua, auditâ relatione & voto præfatis, nec non omnibus maturè perpensis & consideratis; mandavit ex Archivio ejusdem Congregationis, & ex Matrice actorum, quæ in eodem Archivio conservantur, extrahi sive transcribi, & diligenter collationari, ac imprimi exemplar Bullæ præfatæ, illudque sic extractum, collationatum & impressum, eisdem Sinichio & Papiro, per supradictos DD.

Cardinales Spadam, Pamphiliū, & Falconerium consignari, ipsisque insuper Sinichio & Papio intimari, & significari: Suae Sanctitatis mentem & voluntatem esse, ut eidem exemplari sic consignato fides adhibeatur, & ab omnibus Christi fidelibus Bullae hujusmodi omnino pareatur, sub pœnis & censuris in eâ contentis: & Demum super dubitationibus, difficultatibus, ac querelis occasione præfatæ Bullae quoquo modo excitatis vel excitandis, perpetuum silentium imponi, prout imposuit, & ita &c. Non obstantibus omnibus & quibuscumque in contrarium adductis, & deductis, &c. Insuper Sanctitas Sua mandavit juxta sensum præfatum scribi per eandem S. Congregationem Nuntius Apostolicis ac locorum Ordinariis, & expediri etiam litteras ad Governatorem Flandriæ, & Universitatem Lovaniensem, & ad alios &c.

Fidem facio Ego Notarius publicus infra scriptus, qualiter die XXIX. Julii M. DC. XXXXIV. in executionem supra scripti Decreti fuit à supra nominatis Eminentissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus Spada, Pamphilio, & Falconerio, datum & cum effectu consignatum in propriis manibus DD. Joannis Sinich & Cornelii Papii; Professorum Universitatis Lovaniensis, exemplar Bullae Sanctissimi Domini nostri Urbani Papæ Octavi, contra Librum quendam Reverendissimi Cornelii Jansenii olim Episcopi Iprensis intitulatum Augustinus, & alios libros & opuscula contenta in eadem bulla: iisque ab eisdem Eminentissimis DD. Cardinalibus

libus intimatam & significatam Suæ Sanctitatis mentem
& voluntatem, ut in præfato Decreto, præsentibus testi-
fibus opportunis, & cum assistentia Reverendissimi D.
Francisci de Albizis ejusdem Sanctæ universalis Inqui-
sitionis Assessoris. In quorum fidem me subscripsi, &
sigillo præfatæ Sanctæ Inquisitionis munivi hac die tri-
gesima Julii Anni millesimi sexcentefimi quadragesimi
quarti. *Et erat subscriptum.* Ita est. Joannes Antonius
Thomasius præfatæ S. Universalis Inquisitionis Nota-
rius. Et appositum sigillum S. Congregationis.

ATTESTATIO ALTERA

Ejusdem Notarii de exemplari Bullæ Urbani
VIII. recusæ Anno 1644. ad amissum con-
cordante cum exemplari servato in matrice
actorum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII.

Attestor Ego Io. Antonius Thomasius Supremæ, &
universalis Inquisitionis de urbe Notarius à Matri-
ce actorum Pii V. & Gregorii XIII. F. R. nec non S.
D. N. Urbani Papæ VIII. quæ in Archivio ejusdem
supremæ & universalis Inquisitionis conservantur, me
extraxisse, seu transcripisse de verbo ad verbum, &
deinde diligenter collationasse præsens exemplar, atque
in omnibus & per omnia cum prædictis ut supra ad
amissum concordare. In quorum fidem præsentibus sub-
scripsi & sigillo Sanctæ Rom. & universalis Inqui-
sitionis munivi hac die vigesima prima Julii Millesi-
mi sexcentefimi quadragesimi quarti.

Ita est.

JO. ANTONIUS THOMASIUS Sanctæ Rom.
Universalis Inquisitionis Notarius.

LOCUS SIGILLI S. Congregationis
S. Rom. & Universalis Inquisitionis.

C 3

Hæc

HÆc attestatio Lovanii extat Originalis ad calcem Bullæ Urbani VIII. recusæ Anno 1644. in gratiam Doctorum Lovaniensium : ubi in Bulla Pii V. Urbanianæ insertâ, post hæc verba, *sustineri possent*, & ante hæc, *in rigore & proprio verborum sensu*, visitur distinctum comma, seu virgula disjunctiva.

S. D. N.

INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ X.
Decretum adversus libros continentes Propositionem, quâ asseritur æqualitas
SS. Petri & Pauli.

FERIA V. DIE XXIV. IANVARIJ M. DC. XLVII.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctissimo D. N. D. INNOCENTIO Divinâ Providentiâ Papa X. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in universa Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

EDITUS est Anno 1645. Liber Gallico Idiomate impressus, cui titulus : *De l'autorité de S. Pierre & de S. Paul, qui reside dans le Pape Successeur de ces deux Apostres,*
abs-

absque nomine Authoris, & impressionis loco. Hujus Libri evulgationem subsecuta est editio alterius Libri Anonymi eodem Idioma-
te impressi, cui titulus: *La Grandeur de l'Eglise Romaine establie sur l'autorité de S. Pierre & de S. Paul.* Nec non Epistolæ ejusdem argumenti Latino Idiomate conscriptæ, ac typis excusæ, plurimis adductis atque congestis Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & Doctorum locis.

Quocircà, ne in re tanti ponderis error aliquis mentibus Christi fidelium irreperet, libris prædictis de mandato Sanctissimi maturè examinatis, locisque adductis diligenter inspectis, ac ponderatis.

Sanctissimus relatâ unanimi Theologorum ad hoc specialiter deputatorum censurâ, & auditis votis Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, Propositionem hanc: S. Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unicum efficiunt. Vel: sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coriphæi, ac supremi Duces summâ inter se unitate conjuncti. Vel: sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissimè coaluerunt. Vel: sunt duo Ecclesiæ Summi Pastores, ac Præsides, qui unicum caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S.
Pe-

Petrum, & S. Paulum sine subordinatione, & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiae, haëticam censuit, & declaravit.

Epistolam verò, ac libros prædictos, aliosque, in quibus Propositio ut supra explicata & damnata asseritur, & defenditur, tam impressos, quàm imprimendos quocumque idiomate, aut quomodolibet etiam in scriptis evulgatos, vel in posterum evulgandos, Sanctitas sua omninò damnatos, & prohibitos esse voluit, prout præsentis Decreto damnat, & prohibet.

Mandans ut nemo cujuscumque gradus, & conditionis existat etiam speciali, seu specialissimâ notâ dignus, libros prædictos, aut aliquem ex illis apud se retineat, aut legat, nec imprimere, aut imprimi curare audeat, sub censuris, & pœnis contra hujusmodi delinquentes statutis, sed statim à præsentis Decreti notitia, quicumque illos habuerit locorum Ordinariis, seu inquisitoribus consignare teneatur.

*Jo. Antonius Thomasius S. Rom. &
Univ. Inquis. Not.*

*Anno à Nativitate D. N. JESU-CHRISTI millesimo
sexcentesimo quadragesimo septimo, Indictione 15. die ve-
rò 25. mensis Ianuarii Pontificatus Sanctiss. in Christo
Patris, & D. N. D. Innocentii divinâ providentiâ Pa-*

pe X. Anno ejus tertio, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateran. & S. Petri de Vrbe, nec non ad valuas Palatii Sacrae Inquisitionis, & Cancellaria Apost. ac in acie Campi Flore, ut moris est, per me Hieronymum Mascellam ejusdem Sanctiss. D. N. Papa, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

S. D. N.

INNOCENTII Divinâ providentiâ Papæ X. Decretum, quo damnatur libellus, cui titulus; *Catechisme de la grace*, ut continens errores damnatos a Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. qui est ille ipse libellus, qui nuper iterum protrusus est in lucem; sed novum habens titulum; *Esclaircissement sur quelques difficultez touchant la grace, avec une solide responce a quelques doutes populaires sur la doctrine de laditte grace, & de la predestination. A Liege chez la Veufve Streel avec permission des Superieurs 1679.*

FERIA V. DIE VI. OCTOBRIS M. DC. L.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. D. INNOCENTIO Divinâ providentiâ Papa X. ac Eminentissimis & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in universa Republica Christiana

stiana adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Hoc Anno 1650. editus est Libellus Gallico Idiomate, cui Titulus: *Catechisme de la Grace*, sine nomine Auctoris & absque impressionis loco. Contra doctrinam in eo libello contentam, Libellus alter pariter Idiomate Gallico impressus est, cui Titulus: *Catechisme ou Abregé de Doctrine touchant la Grace divine, selon la Bulle de Pie V. Gregoire XIII. Urbain VIII. Antidote contre les erreurs du temps, par un Docteur de la S. Theol. de Douay. A Douay chez la Vefve Marc Wion, à l'enseigne du Phœnix 1650.* Cumque in Opusculis prædictis materia Gratia divinae, & liberi Arbitrii contineretur, præfatis Sanctiss. D. D. ne mentes fidelium ex eorum lectura, periculo & scandalo exponerentur, per Theologos ejusdem Sacrae Congregationis Qualificatores, ad hoc specialiter deputatos, doctrinam in eis contentam examinari mandavit, eorumque censurâ demùm relatâ, & auditis votis Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, Libellum utrumque, sive Gallico, sive alio Idiomate excusum, prohibendum censuit, pro ut præfenti Decreto omninò prohibet.

hibet. Primum siquidem, cui titulus *Catechisme de la Grace*, quia in eo continentur quamplures Sententię, aliàs per fel. record. Pium V. Gregor. XIII. & Urbanum VIII. damnatę, Ambos verò, quia ex professo tractant materiam de Auxilijs, quam non licuit imprimere nisi prius obtenta à Sede Apostolica licentia juxtà Decreta pię mem. Pauli V. Urbani VIII. Et propterea eorum Actores pœnis in prædictis Constitutionibus, & Decretis Apostolicis contentis subjacent. Denique quia in forma, & sub nomine Catechismi vernacula Gallorum lingua vulgati, sunt, Cum tamen materia in eis digesta superet captum vulgi, cui lac Potum dari oportet non escam istam, quam glutire non potest. Mandat propterea Sanctitas Sua, ut nemo cujusque gradus, & conditionis, existat, etiam speciali, & specialissima nota dignus, libellos prædictos, aut aliquem ex illis apud se retineat, aut legat, nevé imprimere, aut curare imprimi audeat, sub censuris & pœnis contra hujusmodi delinquentes, statutis, sed statim à Præsents Decreti notitia illos locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus consignet.

*Jo. Antonius Thomastus S. Romanę, &
Universalis Inquisitionis Not.*

An-

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi Millesimo sexcentesimo quinquagesimo, Indictione 3. die verò 14. Mensis Octob. Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii divinâ Providentiâ Papæ X. Anno ejus septimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateran. & S. Petri de Urbe, nec non ad valvas Palatii Sacræ Inquisitionis, & Cancellariæ Apost. ac in acie Campi Florę, ut moris est, per me Hieronymum Mascellam ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

ANTONIUS Dei & Apostolicæ Sedis
gratiâ Episcopus Gandavensis, Uni-
versis nostræ Diœcesis fidelibus
Salutem in Domino.

Nostra erga Sedem Apostolicam Filialis observantia, ac Paterna in nobis subditos cura id exigit, ut vobis, & cuilibet vestrum, notum faciamus infra scriptum ejusdem Decretum nobis transmissum, quatenus eidem vos obedienter conformetis, & ut id faciatis hortemur, & mandemus, prout hortamur & mandamus per præsentem. *Datum Gandavi in Palatio nostro Episcopali, Anno Domini Millesimo sexcentesimo quinquagesimo Mensis Novemb. die vigesima Nona.*

De Mandato Perillustris ac Reverendissimi Domini Episcopi præfati.

P. Simon, *Secretarius.*

De-

Decreti autem forma hæc est.

Feria 5. die 6. Octobris 1650. &c.

HOc Anno 1650. editus est Libellus Gallico idiomate, cui titulus : Catechisme de la Grace. *Reliqua, ut supra.*

S. D. N.

INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ X.

CONSTITUTIO

Quâ damnantur, ut hæreticæ, quinque Propositiones Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Vniversis Christi fidelibus Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUM occasione Impressionis libri, cui Titulus, Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, Complures Galliarum Episcopi apud Nos institerunt, uti easdem Propositiones Nobis oblatas expendere, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam.

Tenor

*Tenor verò præfatarum Propositionum est
prout sequitur.*

Prima: Aliqua Dei præcepta Hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentem, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, quâ possibilia fiant.

Secunda: Interiori Gratia in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Tertia: Ad merendum, & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Quarta: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratia interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset Humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Quinta: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò Hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

NOS, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex Alto commissa, purgatis pravæ Opinionum erroribus, tutò militare, & tanquàm Navis in tranquillo Mari, sedatis omnium tempe-
sta-

statum fluctibus, ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis Portum pervenire possit.

Pro rei gravitate, coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpiùs congregatis, à pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem Quinque Propositiones, uti suprà Nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram Nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes audivimus.

Cum autem ab initio hujusmodi discussionis ad Divinum implorandum Auxilium multorum Christi fidelium preces, tum privatim, tum publicè indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventiùs, ac per Nos sollicitè imploratâ Sancti Spiritus Assistentiâ, tandem Divino Numine favente, ad infrascriptam devenimus Declarationem, & Definitionem.

Primam prædictarum Propositionum: *Aliqua Dei præcepta Hominibus Iustis volentibus, & conantibus secundum præsentem, quas habent Vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant: Temerariam, Impiam, Blasphemam, Anathemate damnatam, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Se-

Secundam : *Interiori Gratia in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur* : Hæreticam declaramus , & uti talem damnamus.

Tertiam : *Ad merendum , & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas à necessitate , sed sufficit libertas à Coactione* : Hæreticam declaramus , & uti talem damnamus.

Quartam : *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratia interioris necessitatem ad singulos actus , etiam ad initium Fidei , & in hoc erant Hæretici , quod vellent eam Gratiam talem esse , cui posset humana Voluntas resistere , vel obtemperare* : Falsam & Hæreticam declaramus , & uti talem damnamus.

Quintam : *Semipelagianum est dicere , Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse , aut Sanguinem fudisse ; Falsam , Temerariam , Scandalosam ; & intellectam eo sensu , ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit : Impiam , Blasphemam , Contumeliosam , Divinæ Pietati Derogantem , & Hæreticam declaramus , & uti talem damnamus.*

MANDAMUS igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus , ne de dictis Propositionibus sentire , docere , prædicare aliter præsumant , quàm in hac præsentis nostræ Declaratione , & Definitione continetur , sub cen-

su-

suris, & poenis contra Hæreticos, & eorum fautores in jure expressis.

PRÆCIPIMUS pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut Contradictores, & Rebelles quoscumque per censuras, & poenas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) Auxilio Brachii Sæcularis, omnino coërceant, & compescant.

NON INTENDENTES tamen per hanc Declarationem, & Definitionem super prædictis Quinque Propositionibus factam, approbare ullatenùs alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie Kal. Junii, Pontificatus Nostri Anno Nono.

Hi. Datarius.

G. Gualterius.

P. Ciampinus.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi Millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, Indictione sexta, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris,

D

tris,

50

*tris, & D. N. D. INNOCENTII Divi-
na Providentia Papæ X. Anno ejus Nono, die vero
nona mensis Junii supradicta Constitutio affixa, &
publicata fuit in Ecclesiæ Lateranen. ac Basilica
Principis Apostolorum de Vrbe, nec non Cancellaria
Apostolica valuis, ac in acie Campi F'ora per
me Hieronymum Mascellam Sanctissimi D. N. Pa-
pæ Cursorem.*

Pro D. Mag. Cursorum P. Paulus
Desiderius Cursor.

S. D. N.
I N N O C E N T I I
DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X.

*Decretum, quo damnat iteratò Augustinum
Cornelii Jansenii, simulque Libros omnes
ad ejusdem defensionem editos, & edendos:
ac denique fidem abrogat quibusdam præ-
tensis actis coram Clemente VIII. & Pau-
lo V. simulque Pseudo-Bullæ Pauli V. con-
tra Doctrinam Ludovici Molinæ.*

FERIA V. DIE 23. APRILIS 1654.

*In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, &
Vniversalis Inquisitionis, habita in Palatio
Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D.
N.*

*N. D. Innocentio Divina providentia Papa X. ac
Eminentiss. & Reverendiss. DD. S. Romanæ
Ecclesiæ Cardinalibus in Vniversa Republica
Christiana contra hæreticam pravitatem Inquisi-
toribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica
specialiter deputatis.*

Sanctissimus D. N. Innocentius Papa X.
post condemnatam sua Constitutione
edita Pridie Kalen. Junii anni Incarna-
tionis Dominicæ 1653. in quinque Proposi-
tionibus Augustini Cornelii Jansenii Episcopi
Ipren. Doctrinam, Ne occasione Doctrinæ
prædictæ in mentes Christi fidelium aliquod
dubium, vel error irrepat, eundem Augusti-
num Cornelii Jansenii, &c. iteratò, unà cum
aliis infra scriptis libris, prohibet & damnat,
eosque pro damnatis & prohibitis haberi vo-
luit, sub pœnis & censuris in Indice Librorum
prohibitorum contentis, aliisque arbitrio San-
ctitatis suæ infligen.

Nemo igitur cujuscumque gradus & condi-
tionis existat, etiam speciali seu specialissima
nota dignus, libros infra scriptos, aut aliquem
ex illis apud se retinere, legere, imprimere,
vel imprimi curare audeat; sed statim à præ-
sentis Decreti notitia, quicumque illos habue-
rit, locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus,

52
consignare teneatur, sub pœnis & Censuris
prædictis.

Elenchus Librorum.

Cornelii Jansenii Episcopi Iprens. Augu-
stinus, Lovanii, Parisiis, Rothoma-
gi, sive quocumque alio in loco, seu
idiomate impressus.

Ejusdem Parallelus errorum Massiliensium,
& quorundam Recentiorum.

Cornelii Jansenii, &c. Laudatio funeralis,
dicta à F. Joanne à Lapide. Lovanii Typis
Bernardini Masii.

Humilis & supplex Querimonia Jacobi Ze-
gers adversus libellum R. P. S. T. Regiæ Capel-
læ Bruxellis concionat. & Theses PP. Societa-
tis. apud Jacobum Zegers 1. 2. 3. seu alterius
editionis.

Augustini Hipponensis & Augustini Iprens-
is de Deo omnes salvare volente Homologia,
&c. Lovanii apud Jacobum Zegers.

Epistola Liberti Fromondi, & Henrici Ca-
leni. Lovanii 16. Junii 1641. &c. quæ inci-
pit: Theses vestras

Somnium Hipponense, sive de Controver-
siis, &c. Relatore Philetimo S. T. Baccalaurco
formato. Parisiis anno 1641.

Liberti Fromondi S. T. Doctoris Brevis
Ana-

Anatomia Hominis. Lovanii apud Jacobum Zegers anno 1641.

Conventus Africanus, sive disceptatio Judicialis apud Tribunal Præsulis Augustini, &c. enarratore Artemidoro Oneirocritico. à Rouën, chez Nicolas de la Montaigne anno 1641.

Memorial au Roy, quod incipit Jean Jansenius Champine, &c. & finit; contra illa duo Decreta Summorum Pontificum.

Attestatio Notarialis, quæ incipit: Ego infra-scriptus. & finit: Petrus Mintart Notarius.

Approbatio sub nomine nonnullorum Theologorum ex variis Religionibus tam Ordinum Monachalium, quàm Mendicantium; Necnon Archiepiscopi Philippensis, aliorumve Theologorum Clericorum sæcularium Doctrinæ Cornelii Jansenii in d. libro Augustinus contentæ, quæ incipit: Quid sentiendum sit de Doctrinâ in opere Reverendissimi D. Cornelii Jansenii Episcopi Ipre. fel. mem. nuncupat. Augustinus. & finit: & me publico, & Apostolico, & dictæ Universitatis Notario, & Scriba jurato. Quod attestor Petrus Mintaert Notarius.

Cryscippus de libero arbitrio. Lovanii 1644.

Memorialia per Deputatos Academiæ Lovaniensis exhibita Romæ Summis Pontificibus

bus Urbano VIII. & Innocentio X. Pro Doctrina B. Augustini manutenenda, &c. anno 1644.

Novus Prosper contra Novum Collatorem. Lovanii 1647.

Collatio Antverpiensis ad Petrum Aurelium, Lovanii 1647.

Vincentii Lenis Theriaca adversus Petavium & Ricardum de libero arbitrio. Lutetiae Parisiorum 1648.

Ejusdem Epistola Prodroma. Lovanii 1649.

Apologie de Monsieur Jansenius Evêque d'Ipre, & de la Doctrine de S. Augustin expliquée dans son livre intitulé Augustinus, &c. 1644.

Seconde Apologie pour Monsieur Jansenius Evêque d'Ipre, & pour la Doctrine de S. Augustin expliquée dans son livre intitulé Augustinus 1645.

Examen libelli, cui titulus est: Propositiones excerptæ ex Augustino Reverendissimi D. Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, quæ in specimen exhibentur Suæ Sanctitati. Lovanii 1646.

Response à un escrit qui a pour tiltre, Advis donné en Amy à un certain Ecclesiastique de Louvain, au sujet de la Bulle du Pape Urbain VIII. qui condamne le livre portant le tiltre, Augustinus Cornelii Jansenii.

Planctus Augustinianæ Veritatis in Belgio patientis, Lovanii 1649.

Jo-

Joannis Martinez de Ripalda è Societate
Nominis Jesu Vulpes capta, per Theologos
S. Facultatis Academiæ Lovanien. Anno
1649.

Considerations sur la Lettre composée par
M. l'Evêque de Vabres, pour estre envoyée
au Pape en son nom, & de quelques autres
Prelats, &c. 1651.

De la Grace Victorieuse de JESUS-CHRIST,
ou Molina & ses Disciples convaincus de l'er-
reur des Pelagiens & des Semi-pelagiens. à
Paris 1651.

Utrum sit damnandus Jansenii Augustinus.
Incipit Nullo Jure. Finit: Non potest dam-
nari Jansenius nisi ridente Pelagio, plorante
Augustino. Humilis Romanus, &c.

Rationes ob quas Illustrissimus & Reve-
rendissimus D. Archiepiscopus Mechliniensis
à promulgatione Bullæ, qua proscribitur li-
ber, cui titulus: Cornelii Jansenii Episcopi
Iprensis Augustinus 1649. quocumque Idio-
mate impress.

Raisons pour lesquelles on n'a trouvé con-
venir de publier au Diocèse de Gand avec la so-
lemnité accoustumée, certaine Bulle contre
le livre du defunt Evêque d'Ipre Jansenius,
representées par Monseigneur le Reverendis-
sime Evêque de Gand 1649.

Defensio Belgarum contra Evocationes

D 4

Cau-

Causarum, & Peregrina Judicia 1. 2. seu alterius editionis.

Jus Belgarum circa Bullarum Pontificiarum Receptiones, 1. 2. seu alterius editionis.

Catechismus de Gratia quocumque Idiomate sit editus.

Synopsis veræ Catholicæque Doctrinæ de Gratia, & annexis Quæstionibus ad Catechismum de Gratia, Auctore Samuele Maresio. Groningæ 1651.

Distinction Abregée des cinq Propositions, qui regardent la matiere de la Grace, laquelle a esté présentée en Latin à Sa Sainteté par les Theologiens, qui sont à Rome pour la defense de la Doctrine de S. Augustin, où l'on voit clairement en trois colonnes les divers sens, que ces propositions peuvent recevoir, & les sentimens des Calvinistes & des Luthériens, des Pelagiens & des Molinistes, de Saint Augustin & de ses Disciples 1653. sive libellus, cui titulus:

Brevissima quinque Propositionum in varios sensus distinctio, aperta que de iis tum Calvinistarum tum Lutheranorum, tum Pelagianorum & Molinistarum, tum S. Augustini ejusque Discipulorum sententia. Sive Typis, sive scripto extet.

Philosophia Moralis Christiana Auctore Joanne Camerario Presbytero. Andegavi 1652.

Theo-

Theologie familiere ou Instruction de ce que le Chrestien doit croire & faire en ceste vie pour estre sauvé, Auctore Jean du Vergier Abbé de S. Cyran. cujuscumque editionis illa sit.

Lettre de Jean de Labadie à ses Amis, &c. A Montauban, 1651.

Priere pour demander à Dieu la grace d'une veritable & parfaite conversion.

Justa damnatio quinque Propositionum Jansenii studium Marci Ferri. Venetiis 1653.

Response à un Sermon prononcé par le P. Brisacier Jesuite à Blois le 29. Mars 1651.

Lucerna Augustiniana, qua breviter & dilucidè declaratur Concordia & Discordia, quâ duo nuper ex DD. Doctores S. Th. Duacen. conveniunt aut recedunt à cæteris hodie Sancti Augustini Discipulis. sine nomine Auctoris, & loco Impressionis.

Emunctorium Lucernæ Augustinianæ, quo Fuligines à quibusdam aspersæ emunguntur.

Lettre Pastorale de Monsieur l'Archevesque de Sens pour la publication de la Constitution de Nostre Saint Pere le Pape, donnée à Rome le trente-uniesme May dernier, &c. Imprimée par le commandement de Mon-dit Seigneur.

Ordonance de Monseigneur l'Evesque de Cominges sur la publication qu'il a faite dans
le

le Synode Diocesain de Cominges le 9. d'Octobre 1653. de la Constitution de Nostre Saint Pere le Pape Innocent. X. portant Censure de cinq propositions touchant la Grace & le Franc-arbitre.

Samuelis Maresii Apologia Novissima pro S. Augustino, Jansenio & Jansenistis contra Pontificem & Jesuitas. Groningæ anno 1654.

Les Enlumines du Fameux Almanach des PP. Jesuites, intitulé La Deroute & la Confusion des Jansenistes.

Memoire sur le dessein, qu'ont les Jesuites de faire retomber la Censure des cinq Propositions sur la veritable doctrine de S. Augustin sous le nom de Jansenius, sine nomine Auctoris, loco impressionis.

Response au P. Annat Provincial des Jesuites, touchant les cinq Propositions attribuées à M. l'Evesque d'Ipre, divisée en deux Parties, sine nomine Auctoris, & loco impressionis. 1654.

Item omnes, & quicumque libri, libelli, Epistolæ, tam impressi, quàm manuscript. seu imposterum edend. & publicand. in quibus Doctrina Augustini Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis in prædictis quinque Propositionibus damnata approbatur, aut asseritur, quocumque Idiomate scripti, sive editi sint.

Cæterum cum tam Romæ, quàm alibi cir-

cum

cumferantur quædam asserta Acta manuscripta, & forsan Typis excusa, Congregationum habitarum coram sæl. record. Clement. VIII. ac Paulo V. super quæstione de Auxiliis Divinæ Gratiæ, tam sub nomine Francisci Pegnæ olim Rotæ Romanæ Decani, quàm Fratris Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumque Prælatorum & Theologorum, qui, ut asseritur, prædictis interfuerunt Congregationibus. Necnon quoddam Auctographum sive exemplar cuiusdam assertæ Constitutionis ejusdem Pauli V. super definitione prædictæ Quæstionis de Auxiliis, ac damnationis sententiæ, seu sententiarum Ludovici Molinæ Societatis JESU, eadem Sanctitas Sua præsentis hoc Decreto declarat, ac decernit prædictis assertis Actis, tam pro sententia Fratrum Ordinis S. Dominici, quàm Ludovici Molinæ, aliorumque Societatis JESU Religiosorum & Auctographo, sive exemplari prædictæ assertæ Constitutionis Pauli V. nullam omninò esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu à quocumque alio allegari posse, vel debere, sed super quæstione prædicta, observanda esse Decreta Pauli V. & Urbani VIII. suorum predecessorum.

Joan. Antonius Thomafius S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

An-

Anno à Nativitate D. N. JESU CHRISTI millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto, Indictione septima, die verò vigesima septima Aprilis, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina providentia Papæ X. anno ejus decimo, prædictæ litteræ Apostolicæ, sive decretum affixum publicatum fuit ad valvas Basilicæ S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe & Cantuariæ Apostolicæ, atque in acie Campi Floræ, ut miris est, per me Hieronymum Mascellam, ejusdem D. N. Papæ, & S. Romanæ Inquisitionis Curs.

S. D. N.

ALEXANDR
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ VII.

*Confirmatio, Approbatio, Innovatio & Declaratio
Constitutionis Innocentii X. de Quinque
Propositionibus in materia Fidei.*

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei Universis Christi-fidelibus Salutem & Apostolicam Benedictionem. Ad sacram Beati Petri Sedem & Universalis Ecclesiæ regimen inscrutabili Di-

vinæ providentiæ dispositione nullis nostris suffragantibus meritis evecti nihil Nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quàm ut Sanctæ fidei nostræ ac sacrorum dogmatum integritati traditâ Nobis à Deo potestate opportunè consuleremus. Ac licèt ea quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, novæ decisionis sive declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latius divagetur, promptum Apostolicæ Auctoritatis remedium censuimus non esse differendum. Emanavit siquidem aliàs à felicis recordationis Innocentio PP. X. Prædecessore nostro Constitutio, Declaratio & Definitio tenoris qui sequitur, videlicet:

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Universis Christi-fidelibus Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum occasione Impressionis libri, cui Titulus, Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis (*sequitur tenor Bullæ Innocentii X. quam suprâ lector inveniet.*)

Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas Quinque Propositiones vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictè & pro arbitrio com-

compositas esse, vel non in sensu ab eodem
 intento damnatas fuisse asserere magno cum
 Christi fidelium scandalo non reformidentur.
 Nos qui omnia, quæ hac in re gesta sunt
 sufficienter & attentè perspeximus, utpo-
 qui ejusdem Innocentii Prædecessoris iussu
 dum adhuc in minoribus constituti Cardinali
 munere fungeremur, omnibus illis congrega-
 tionibus interfuimus, in quibus Apostolica Au-
 thoritate eadem causa discussa est eâ profectò
 diligentiam quâ major desiderari non posset.
 quamcumque dubitationem super præmissis
 imposterum auferre volentes, ut omnes Chris-
 ti fideles in ejusdem fidei unitate sese conti-
 neant, ex debito nostri Pastoralis Officii
 maturâ deliberatione præinsertam Innocentii
 Prædecessoris nostri Constitutionem, Declara-
 tionem & Definitionem harum serie Confirma-
 mamus, Approbamus, & Innovamus, &
 Quinque illas propositiones ex libro præme-
 morati Cornelii Jansenii Episcopi Ipresensis,
 cui titulus est Augustinus, excerptas, ac in
 sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento
 damnatas fuisse Definimus & Declaramus, &
 uti tales, iniustâ scilicet eâdem singulis notâ,
 quæ in prædicta Declaratione & Definitione
 unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum
 damnamus ac eundem librum sæpè dicti Cor-
 nelii Jansenii, cui titulus Augustinus, om-
 nes-

nesque alios tam manuscriptos, quam typis editos & si quos forsan imposterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Jansenii doctrina, ut supra, damnata defenditur vel adstruitur, aut defendetur & adstruetur, damnamus itidem atque prohibemus. Mandantes omnibus Christi-fidelibus ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo vel scripto exponant, vel interpretentur publicè vel privatim, palam vel occultè, imprimantve sub pœnis & censuris contra Hæreticos in Jure expressis, ipso facto absque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Locorum Ordinariis ac Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus ac Judicibus Ecclesiasticis ad quos pertinet, ut præinsertam ejusdem Innocentii Prædecessoris Constitutionem, Declarationem, ac Definitionem juxta præsentem nostram determinationem ab omnibus observari faciant, ac inobedientes & rebelles prædictis pœnis aliisque juris & facti remediis, invocato etiam si opus fuerit brachii sæcularis auxilio, omninò coërceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, decimo-septimo

64
mo Kal. Novembris, Pontificatus nostri An
no secundo.

I. CARD. PRODAT.

G. GVALTERIVS

P. CIAMPINVS

Loco ✠ Plumbi.

*Visa de Curia P. CIAMPINUS. Registrata
in Secretaria Brevium.*

A tergo verò. In nomine Domini Amen.
Anno à Nativitate ejusdem Domini nostri Je-
su-Christi Millesimo sexcentesimo quinquar-
gesimo sexto, Indictione nona, Pontificatus
autem Sanctissimi in Christo Patris & Domi-
ni nostri Domini Alexandri Divinâ Providen-
tia Papæ Septimi, Anno ejus secundo, Die
vero septima Mensis Novembris retrospectæ
litteræ sub plumbo expeditæ affixæ fuerunt ad
Valvas Basilicæ Principis Apostolorum de
Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, ac aliis locis
solitis, & consuetis Urbis, per me Petrum
Paulum de Grassis Apostolicum Cursorem.

*Pro Magistro Cursorum Jacobus
Cornelius Cursor.*

S. D. N.

ALEXANDRI Divinâ Providentiâ PP. VII.
 Constitutio continens formulam subscri-
 bendi Decretis Pontificum adversus
 hæreses Cornelii Jansenii.

ALEXANDER
 EPISCOPUS,
 SERVUS SERVORUM
 DEI.

Ad Perpetuam rei memoriam.

Regiminis Apostolici divinâ Provi-
 dentiâ nobis quamvis immeritis commissi
 ratio postulat, ut ad ea potissimum,
 quæ Catholicæ Religionis integritati, & pro-
 pagationi, animarumque salutem, & Fidelium
 tranquillitati consulere apta, & idonea esse ju-
 dicantur, animum & curam omnem, quan-
 tum licet in Domino applicemus. Quamobrem
 Cornelii Jansenii hæresim, in Galliis præser-
 tim serpentem, ab Innocentio X. felicitis re-
 cordationis Prædecessore nostro ferè oppres-
 sam adinstar colubri tortuosi, cujus caput at-
 tritum est in varios gyros, & cavillationum
 defluxus euntem, singulari Constitutione ad
 E hunc

hunc finem editâ , altero assumptionis nostræ anno extinguere conati fuimus. Sed ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plenè consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent; qui tamen unicus erat votorum & curarum nostrarum scopus, quibus operam & industriam suam egregio sanè studio venerabiles Fratres nostri Archiepiscopi & Episcopi Regni Galliæ, earundem Constitutionum Apostolicarum executioni præcipuè intenti contulerunt; & carissimus in Christo Filius noster Rex Christianissimus, singulari pietate auxiliarem dexteram strenuo ac constantissimo animo porrexit. Cùm autem præfatus Rex Christianissimus eodem religionis zelo ductus, per suum in urbe Oratorem nobis significari exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium pestiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse, quàm si omnes certam Formulam subscriberent nostra auctoritate firmatam, in qua quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui titulus, *Augustinus*, excerptas sincerè damnarent, ac proinde illam à Nobis quantociùs expediri, ad quælibet effugia præcludenda, omnesque removendos obtentus flagitaverit. Nos tam piis dicti Regis Christianissimi votis benignè annuendum esse ducentes, Formulam infrà scriptam ab omnibus

bus Ecclesiasticis etiam venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, nec non aliis quibuscumque Ecclesiastici ordinis, tam Regularibus, quàm Secularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus atque Magistris subscribi districtè mandamus, idque intra tres menses à die publicationis seu Notificationis Præsentium; aliàs contra eos, qui intra terminum præfatum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus juxta Canonicas Constitutiones, & Conciliorum Decreta.

F O R M U L A

A supradictis subscribenda.

EGO N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maij 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum, me subiicio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Decernentes insuper præsentis Litteras semper & perpetuò validas & efficaces existere, & fore, suosque plenos & integros effe-

E 2

ctus

Etus fortiri, & obtinere, sicque per quoscum-
 que Judices ordinarios & delegatos, ubique
 judicari, & definiere debere, sublatâ eis & eo-
 rum cuilibet quâvis aliter judicandi & inter-
 pretandi facultate, & auctoritate, ac irritum
 & inane esse, si secus super his à quocumque
 quavis auctoritate scienter vel ignoranter
 contigerit attentari. Quocirca venerabilibus
 Fratribus Archiepiscopis & Episcopis, aliis-
 que locorum ordinariis committimus, & man-
 damus, ut singuli in suis Dioccesibus, ac lo-
 cis suæ Jurisdictioni subjectis præsentis Lit-
 teras, & in eis contenta quæcumque exe-
 quantur, & exequi ac observari ab omnibus
 curent, & inobedientes quoscumque per Sen-
 tentias, Censuras, & pœnas, aliâque juris &
 facti remedia, appellatione postpositâ, invo-
 cato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii se-
 cularis auxilio, omnino compellant. Volu-
 mus autem, ut præsentium transumptis, etiam
 impressis, manu Notarii publici subscriptis,
 & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecce-
 siasticâ constitutæ munitis, eadem fides pro-
 fus adhibeatur, quæ ipsis Originalibus Litte-
 ris adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.
 Nulli ergo omnino hominum liceat hanc no-
 stram Constitutionem & Ordinationem in-
 fringere vel ei ausu temerario contraire. Si
 quis autem hoc attentare præsumpserit, indig-
 nationem


nationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri
& Pauli Apostolorum ejus, se noverit incur-
surum. Datum Romæ apud S. Mariam Mayo-
rem, anno Incarnationis Dominicæ 1664.
15. Kal. Martii Pontificatus nostri anno de-
cimo.

I. Cardinalis Prodatarius S. Vgolinus.

Visa de Curia P. Ciampinus.

A tergo verò registrata à Secretaria Brevium,

ANno à Nativitate D. N. JESU-CHRIS-
TI millesimo sexcentesimo sexagesimo
quinto, indictione tertiâ die verò 17. Mensis
Februarii, Pontificatus autem in Christo Pa-
tris S. D. N. D. Alexandri divinâ Providen-
tiâ Papæ VII. anno ejus ultimo, retroscriptæ
Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fue-
runt ad valvas Basilicæ, Principis Apostolo-
rum, Cancellariæ Apostolicæ, in acie Campi
Floræ, ac aliis locis solitis & consuetis Urbis,
per me Stephanum Vivaldum. Cursorem
Apostolicum.



E 3

S. D. N.

ALEXANDRI
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ VII.

*Decretum adversus litteras Provinciales Ludovici
Montaltii, &c.*

Feria 5. Die 6. Septemb. 1657. in Congrega-
tione generali S. Romane, & Universalis
Inquisitionis habita in Palatio Apostolico
apud S. Mariam Majorem, coram sanctiss.
D. N. ALEXANDRO, Divinâ provi-
dentiâ Papâ VII. ac Eminentissimis & Re-
verendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus,
in universa Republica Christiana contra hæ-
reticam pravitatem Inquisitoribus generali-
bus, à sancta Sede Apostolica specialiter
deputatis.

Sanctiss. D. N. ALEXANDER Papa VII.
præsenti Decreto prohibet & damnat Li-
bros infrascriptos, eosque pro damnatis &
prohibitis haberi voluit, sub pœnis, & censu-
ris in sacro Concilio Tridentino, & in Indice
librorum prohibitorum contentis, aliisque ar-
bitrio Sanctitatis suæ infligendis.

ELEN

71

ELENCHUS LIBRORUM.

DECEM & octo Epistolæ Gallico Idiomate conscriptæ, quarum prior inscribitur,

Lettre écrite à un Provincial par un de ses Amis sur le sujet des disputes presentes de la Sorbonne de Paris ce 23. Janvier 1656. incipit : Monsieur, Nous estions bien abusez.

2. Seconde lettre, &c. de Paris ce 29. Janvier 1656. incipit : Monsieur, Comme je fermois, &c.

3. Troisieme lettre, &c. de Paris ce 9. Fevrier 1656. incipit : Monsieur, Je viens de recevoir, &c.

4. Quatrieme lettre, &c. de Paris le 25. Fevrier 1656. incipit : Monsieur, Il n'est rien tel, que, &c.

5. Cinquiesme lettre, &c. de Paris le 20. Mars 1656. incipit : Monsieur, Voicy ce que je vous ay promis, &c.

6. Sixiesme lettre de Paris ce 10. Avril 1656. incipit : Monsieur, Je vous ay dit, &c.

7. Septiesme lettre, &c. de Paris ce 25. Avril 1656. incipit : Monsieur, apres avoir appaisé, &c.

8. Huitiesme lettre, &c. de Paris ce 28. May 1656. incipit : Monsieur, Vous ne pensez pas, que personne, &c.

E 4

9. Neu-

9. Neuviemesme lettre, &c. de Paris, ce 3. Juillet 1656. incipit : Monsieur, Je ne vous feray pas plus, &c.
10. Dixiesme lettre, &c. de Paris ce 2. Aoust 1656. incipit : Monsieur, Ce n'est pas encor icy, &c.
11. Onziemesme lettre escrete par l'Auteur des lettres au Provincial, aux Reverends Peres Jesuites, du 18. d'Aoust 1656. incipit : Mes Reverends Peres, j'ay veu les lettres, que vous, &c.
12. Douziemesme lettre, &c. du 9. Septembre 1656. incipit : Mes Reverends Peres, j'estois prest à vous escrire, &c.
13. Treziemesme lettre, &c. du 30. Septembre 1656. incipit : Mes Reverends Peres, je viens de voir vostre dernier escrit, &c.
14. Quatorziemesme lettre, &c. du 23. Octobre 1656. incipit : Mes Reverends Peres, Si je n'avois que respondre, &c.
15. Quinziesme lettre, &c. du 25. Novembre 1656. incipit : Mes Reverends Peres, puisque vos impostures croissent, &c.
16. Seiziemesme lettre, &c. du 4. Decembre 1656. incipit : Mes Reverends Peres, voicy la suite de vos calomnies.
17. Dixseptiesme lettre, escrete par l'Auteur des lettres au Provincial, au Reverend P. Annat Jesuite, ce 23. Janvier 1657. incipit :

pit : Mon Reverend Pere, vostre procedé
m'avoit, &c.

18. Dixhuitiesme lettre au Reverend Pere
Annat Jesuite, sur la copie imprimée à
Coloigne le 24. Mars 1657. incipit : Mon
Reverend Pere, il y a long-temps que
vous, &c.

Lettre d'un Advocat au Parlement à un de
ses amis, touchant l'Inquisition, qu'on
veut establir en France, à l'occasion de la
nouvelle Bulle du Pape Alexandre VII. à
Paris le 1. Juin 1657. incipit : Monsieur,
Vous croyez que toutes vos affaires, &c.

Antonii Arnaldi Doctoris, & Socii Sorboni-
ci, opera sequentia :

Lettre de Monsieur Arnauld Docteur de Sor-
bonne, à une personne de condition, sur
ce qui est arrivé depuis peu dans une des
Paroisses de Paris à un Seigneur de la Cour.

Seconde lettre de Monsieur Arnauld, Docteur
de Sorbonne, à un Duc, & Pair de France,
pour servir de responce à plusieurs escrits,
qui ont esté publiez contre sa premiere let-
tre, sur ce qui est arrivé à un Seigneur de
la Cour dans une paroisse de Paris.

Epistola & scriptum ad Sacram facultatem
Parisiensem in Sorbona congregatam die 6.

Decembris anni 1655.

Scripti pars altera ad sacram facultatem Pari-
sien-

siensem in Sorbona congregatam die 10
Decembris 1655.

Epistola, & alter Apologeticus ad sacram fa-
cultatem Parisiensem in Sorbona congrega-
tam die 17. Januarii anni 1656.

Epistola inscripta, Viro sapientissimo Henrico
Holdeno, sacrae facultatis Parisiensis Docto-
ri, incipiens: Eâ temporum conditione,
&c.

Vera S. Thomæ de gratia sufficienti & efficaci
doctrina dilucidè explanata.

Propositiones Theologicæ, de quibus hodie
maximè disputatur, clarissimè demonstratae.

Tabulæ suffragiales de terminandis fidei liti-
bus, ab Ecclesia Catholica fixæ, Authore
Thomâ Anglo ex Albiis East-Saxone.

Tesseræ *Ψευδονύμος* Romanæ evulgatio, eor-
dem Authore, &c.

Et quia circumferuntur quædam folia impres-
sa anno 1657. quorum titulus; est, *Tred-
cim Theologorum ad examinandas quinque Pro-
positiones ab Innocentio X. selectorum suffragia,
seu ut appellant vota summo Pontifici scripta
tradita*, Eadem Sanctitas sua præsentis hoc
decreto illa prohibet, & declarat, ac de-
cernit, iis tanquam apocryphis nullam fi-
dem esse adhibendam, nec à quocumque
allegari posse, vel debere; Et præterea
Epistolas, libellos, ac libros alios quos-
cum-

cumque, in quibus doctrina Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis in quinque Propositionibus per Constitutiones Innocentii prædecessoris, & Sanctitatis suæ damnata, asseritur, aut quomodolibet approbatur, vel defenditur; tam impressos, quàm imprimendos quocumque idiomate, vel quomodolibet etiam in scriptis evulgatos, vel in futurum evulgandos, Sanctitas sua omninò damnat, & prohibet, ac damnatos, & prohibitos esse voluit, mandans, ut nemo cujuscumque gradus & conditionis existat, etiam speciali, seu specialissimâ notâ dignus libros prædictos, aut aliquem ex illis apud se retinere, legere, aut imprimere, aut imprimi curare audeat, sub pœnis, & censuris contra hujusmodi delinquentes statutis, sed statim quicumque illos habent, vel in futurum quodocumque habebunt, locorum Ordinariis, seu inquisitoribus sub iisdem pœnis exhibere teneantur.

Insuper cum hac occasione, & prætextu in lucem prodeant plures libri continentes, & tractantes materiam de Auxiliis, nullâ prorsùs petitâ, vel obtentâ licentiâ ab hac sacra Congregatione; contra formam Decretorum Pauli V. & Urbani VIII. prædecessorum suorum, (quæ quatenus opus sit, Sanctitas sua denuò confirmat, innovat,
&

& inuolabiliter observari mandat, sub cen-
suris & pœnis in eisdem contentis) ideò il-
lis inhærendo, dictos libros editos, & in
futurum quomodolibet edendos, absque
eo quòd fiat de illis specialis mentio, ipse
facto, absque alia declaratione pro expressis
prohibitis haberi voluit, & decrevit.

*Joannes Lupus Sanctæ Romanæ &
Vniuersalis Inquisitionis Not.*

Anno à Nativitate D. N. JESU CHRISTI
millesimo sexcentesimo quinquagesimo sep-
timo, Indictione decimâ, die verò decimâ
quintâ mensis Septembris Pontificatûs sanctissi-
mi in Christo Patris, & D. N. D. ALEX-
ANDRI Divinâ providentiâ Papæ VII. Anno
ejus tertio, supradictum Decretum affixum,
& publicatum fuit ad valvas Basilicarum S.
Joan. Lateranens. & S. Petri de Urbe, nec
non ad valvas palatii sacre Inquisitionis,
Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi
Floræ, ut moris est, per me Hieronymum
Macellam, ejusdem sanctissimi D. N. Papæ,
& sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

A N-

ANDREAS

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
 ARCHIEPISCOPUS
 MECHLINIENSIS,

Omnibus has visuris Salutem in Domino.

CUM Sanctissimus D. N. ALEXANDER
 PAPA VII. Nobis injunxerit, ut in
 hacce nostra Diocesi subimpressum
 Decretum publicari faceremus, in quo Apo-
 stolicâ auctoritate damnantur & prohibentur
 specificè quædam Epistolæ ac Scripta, & ge-
 nericè omnes & quicumque Libri & Scriptu-
 ræ doctrinam Cornelii Jansenii Episcopi Ipre-
 nsis, in quinque Propositionibus damnatam
 approbantes & consoventes, Nos ejusdem
Sue Sanctitatis Mandata, eâ quâ par est reve-
 rentiâ & promptitudine exequi volentes,
 Decretum hujusmodi juxta formam solitam
 ad publicam omnium Diocesanoꝝ nostroꝝ
 notitiam exponi ubique ordinavimus,
 & ordinavimus, ac insuper distinctè præcipimus
 omnibus & singulis personis dictæ nostræ
 Diocesis, cujuscumque gradus & conditio-
 nis, quatenus à Libris inibi expressis velut à
 lethali lue abstineant, ac in reliquis dicto De-
 creto

creto sese conforment, sub pœnis & censuris
ibidem contentis. Datum Bruxellæ die decem-
brinæ octavâ Februarii, Anno Domini millesimo
sexcentesimo sexagesimo.

A. A. M. V.º

N. VIGNEUR

S. D. N.

ALEXANDRI Divina Providentiâ Papæ VII
Constitutio, quâ damnatur gemina Cen-
sura Parisiensis contra varias propositiones
de autoritate Pontificis Romani, &c. de
actionum moralium regulâ, &c.

ALEXANDER
EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM ad aures nostras pervenerit duos
prodiisse libros, quorum alteri titulus
est. Censura Sacræ Facultatis Theolo-
giæ Parisiensis in librum, cui titulus est: La
Deffense de l'autorité de N. S. P. le Pape,
de Nosseigneurs les Cardinaux, les Archeves-
ques, & Evesques, & de l'employ des Re-
ligieux mendians, contre les erreurs de ce
temps.

temps. Par Jacques de Vernant, à Mets,
 1658. Alteri verò titulus est: Censura Sacræ
 Facultatis Theologiæ Parisiensis in librum,
 cui titulus est: Amadæi Guimenii Lomaren-
 sis, olim primarii sacræ Theologiæ professo-
 ris opusculum, singularia universæ ferè The-
 ologiæ moralis complectens: adversus quo-
 rundam exostulationes contrà nonnullas Je-
 suitarum opiniones morales ad Tractatus de
 peccatis; de opinione probabili, &c. Editio
 novissima, &c. Lugduni sumptibus Phil.
 Borde, Laurentii Arnaud, Petri Borde, &
 Guillelmi Barbier 1664. cum approbatione &
 Superiorum permissu. Parisiis 1665. in quibus
 libris censura præsumptuosa notantur aliquæ
 propositiones eæquè præsertim, quæ ad Ro-
 mani Pontificis, & Sanctæ Sedis Apostolicæ
 auctoritatem, Episcoporum jurisdictionem,
 Parochorum munus, Privilegia à Sancta Se-
 de concessa, Dispensationes Apostolicas,
 actionumquæ moralium regulam pertinent,
 & aliæ, quæ & gravissimorum Scriptorum
 auctoritate, & perpetuo Catholicorum usu
 nituntur. Et cum fieri non possit sinè publico
 Catholicæ Religionis detrimento, ut prædi-
 ctæ censuræ in commemoratis libris sinè debi-
 ta Ecclesiæ animadversione, & damnatione
 remaneant.

Nos pro Apostolico munere, quo licet
 im-

immeriti fungimur, ut gravissimo scandalo
 quod indè Catholicis accidere posset, occu-
 ramus; Habitis prius doctissimorum, ac
 signum in Sacra Theologia Magistrorum,
 Professorum, ac sacrarum Sedis Apostolicæ
 Congregationum Qualificatorum, quos
 hæc specialiter deputavimus consultationibus
 ut rei gravitas videbatur postulare; Necnon
 auditis suffragiis venerabilium fratrum nostrorum
 S. R. E. Cardinalium in tota Republica
 Christiana generalium Inquisitorum, Morum
 proprio, & ex certa scientia nostra, de qua
 apostolicæ potestatis plenitudine præfatas cen-
 suras, uti præsumptuosas, temerarias, atque
 scandalosas, auctoritate apostolica damnamus
 & pro damnatis haberi volumus, easquè nul-
 lius valoris, & roboris fuisse, sed cassas, &
 irritas esse declaramus: Mandamus insuper
 ne quisquam ex Christi fidelibus cujuscumque
 gradus, ac dignitatis existat, etiam Episco-
 pali, Archiepiscopali, Patriarchali, aut alia
 majori dignitate, etiam speciali, ac specialis-
 sima nota digna suffultis, prædictas censuras
 approbet, sequatur, atque defendat; Neque
 in publicis, aut privatis lectionibus, disputa-
 tionibus, sessionibus, aut aliis actibus publi-
 cis illas sequatur, tueatur, aut doceat; Ne-
 què in libris, aut etiam scripturis publicis
 vel privatis, aut alio quocumquè modo illas
 al-

alleget, sub pœna excommunicationis latæ
 sententiæ ipso facto incurrendæ, cujus abso-
 lutionem Nobis, ac Sedi Apostolicæ reserva-
 mus. Præterea Typographis, ac Bibliopolis
 expressè prohibemus, nè præfatos libros, &
 censuras imprimere, ac Typis mandare, mi-
 nusquè impressos vendere audeant, ac præsu-
 mant sub eadem pœna excommunicationis la-
 tæ sententiæ ipso facto incurrendæ. Insuper
 libros, scripturas, & alia opera, in quibus præ-
 fatæ censuræ quomodolibet continentur, lau-
 dantur, & defenduntur, apostolica auctori-
 tate prohibemus, ac pro vetitis haberi volu-
 mus; Mandamusquè nè aliquis illos, ac illa
 legere, aut penès se retinere præsumat, sed
 locorum Ordinariis, aut hæreticæ pravitatis
 Inquisitoribus in locis, in quibus Sanctissimæ
 Inquisitionis Officium exercetur consignet,
 sub pœna excommunicationis, ut supra ipso
 facto incurrendæ. Dictisque Ordinariis, ut
 etiam tanquam apostolicæ Sedis Delegati, nec
 non præfatis hæreticæ pravitatis Inquisitoribus
 districtè præcipimus, ut contra transgressores,
 inobedientes, ac rebelles diligenter inquirent,
 & procedant, & ad declarationem dictæ ex-
 communicationis, & ad alias pœnas pro gra-
 vitate ipsorum inobedientiæ, ac transgressio-
 nis pro eorum arbitrio procedant.

Cæterum ulterius de præfatis censuris judi-
 cium

F

cium

cium, dequè opinionibus in prædictis libris Jacobi Vernant, & Amadæi Guimenij contentis, nec non de aliis in eisdem censuris expressis, sivè in eis præmemoratae opiniones notentur, sivè non, Nobis, ac Sanctæ Sedis apostolicæ reservamus.

Decernentes insuper præsentis litteras semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosquè plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicquè per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos ubiquè judicari, & definiri debere, sublimitate eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane esse quidquid secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Volumus autèm ut præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsùs adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò hominum liceat hanc nostram Constitutionem, & Ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, &

& Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, Septimo Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

I. Card. Prodatarius.

S. Vgolinus

Visa de Curia P. Ciampinus.

Registrata in Secretaria Brevium.

P. Ciampinus.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, Indictione tertia, die verò 26. mensis Junii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri, divina Providentia Papæ VII. anno ejus undecimo, supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

F 2

S. D. N.

S. D. N.

ALEXANDRI Divinâ Providentiâ Papæ VII.
 Decretum prius adversus Propositiones
 scandalosâs & perniciosas
 in praxi.

FERIA QUINTA DIE XXIV. SEPTEMB. M. DC. LXV.

In Congregatione Generali S. Romanæ &
 universalis Inquisitionis Habitâ in Palatio
 Apostolico Montis Quirinalis.

C O R A M

S S. D. N.

D. ALEXANDRO
 DIVINA PROVIDENTIA
 P A P A VII.

*Ac Eminentissimis ac Reverendissimis Dominis
 S. R. E. Cardinalibus, Inquisitoribus à S. Sede
 Apostolica specialiter deputatis.*

Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter pro-

dire : & summam illam luxuriantium ingenio-
rum licentiam indies magis excrefcere , per
quam in rebus ad conscientiam pertinentibus
modus opinandi irrepsit alienus omninò ab
Evangelica simplicitate , Sanctorumque Pa-
trum doctrina & quem si pro recta regula
fideles in praxi sequerentur , ingens irreptura
esset vitæ Christianæ corruptela. Quare ne
ullo unquam tempore viam salutis , quam su-
prema veritas Deus , cujus verba in æternum
permanent , arctam esse definivit , in anima-
rum perniciem dilatari , seu verius perverti
contingeret ; idem Sanctissimus D. N. ut oves
sibi creditas ab ejusmodi spatiosa , lataque , per
quam itur ad perditionem , via , pro Pastora-
li sollicitudine in rectam semitam evocaret ,
earundem opinionum examen pluribus in Sa-
cra Theologia Magistris , & deinde Eminen-
tissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus
contra Hæreticam pravitatem Generalibus In-
quisitoribus seriò commisit : qui tantum nego-
tium strenuè aggressi , eique sedulò incum-
bentes , & maturè discussis usque ad hanc diem
infrascriptis propositionibus , super unaqua-
que ipsarum sua suffragia Sanctitati Sux sin-
gillatim exposuerunt.

I.

Homo nullo unquam vitæ suæ tempore te-
netur elicere actum fidei , spei , & charitatis

ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

II.

Vir Equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

III.

Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

IV.

Prælati Regulares possunt in foro conscientie absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurfa.

V.

Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

VI.

Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam in qua ad venerem incitat, non censetur
folli-

sollicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus.

VII.

Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

VIII.

Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

IX.

Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.

X.

Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere & sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmatâ, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

XI.

Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam,

F 4

sam,

ſam, non tenemur in ſequenti Confessione exprimere.

XII.

Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Episcopis reſervatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.

XIII.

Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari, Episcopo preſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.

XIV.

Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

XV.

Pœnitens propria authoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

XVI.

Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non appobatum ab Ordinario.

XVII.

Eſt licitum Religioſo vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi religioſo, vel ejus religioni, publi-

blicè & coram gravissimis viris prædicta im-
pingere, nisi occidatur.

XVIII.

Licet interficere falsum accusatorem, fal-
sos testes, ac etiam judicem à quo iniqua cer-
tò imminet sententia, si alia via non potest in-
nocens damnum evitare.

XIX.

Non peccat maritus occidens propriâ au-
thoritate uxorem in adulterio deprehensam.

XX.

Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis
non recitantibus, non debetur in conscientia
ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod
sit pœna.

XXI.

Habens Capellaniam collativam, aut quod-
vis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio
litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi,
si officium per alium recitet.

XXII.

Non est contra justitiam beneficia Ecclesia-
stica non conferre gratis, quia collator con-
ferens illa beneficia Ecclesiastica pecuniâ in-
terveniente, non exigit illam pro collatione
beneficii, sed veluti pro emolumento tempo-
rali, quod tibi conferre non tenebatur.

XXIII.

Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod te-
ne-

netur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subicere præcepto.

XXIV.

Mollities, Sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

XXV.

Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens commisi cum solutâ grave peccatum contra castitatem non explicando copulam.

XXVI.

Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

XXVII.

Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censerî probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem.

XXVIII.

Populus non peccat etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similibus propositionum examini cura & studium impenditur, intereâ idem Sanctissimus re maturè consideratâ

ratâ statuit, & decrevit, prædictas proposi-
tiones, & unamquamque ipsarum, ut mini-
mum tamquam scandalosas esse damnandas,
& prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet:
ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut
divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de
eis etiam disputativè, publicè aut privatim tra-
ctaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto
incidat in excommunicationem, à qua non pos-
sit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quâ-
cumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro-
tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedi-
entiæ, & sub interminatione divini judicii prohibet
omnibus Christi fidelibus, cujuscumque con-
ditionis, dignitatis, ac status etiam speciali, &
specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opinio-
nes, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

*Joannes Lupus Sanctæ Romanæ & uni-
versalis inquisitionis Not. &c.*

Loco † figilli.

Anno à Nativitate D. N. JESU-CHRISTI
1665. indictione tertia, die verò 2. Mensis
Octobris, Pontificatus verò Sanctissimi in
Christo Patris D. N. D. ALEXANDRI Divinâ
Providentiâ Papæ VII. anno undecimo, su-
pradietum Decretum affixum, & publicatum
fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum,
Can-

Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis urbis, per me Carolum Melanum eiusdem Sanctissimi D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

S. D. N.

ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VII.
Decretum posterius adversus Propositiones
scandalosas & in praxi perniciosas.

FERIA V. DIE XVIII. MARTII. M. DC. LXVI.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ,
& universalis Inquisitionis habita in Pala-
tio Apostolico Montis Quirinalis

CORAM SANCTISS. D. N.

D. ALEXANDRO

DIVINA PROVIDENTIA

P A P A VII.

*Ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E.
Cardinalibus in tota Republica Christiana adver-
sus hereticam pravitatem Generalibus Inquisitori-
bus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis*

Sanctissimus D. N. post latum Decretum
die xxiv. Septembris proximè elapsi,
quo viginti octo Propositiones damnatæ
fuerunt, examinatis sedulò, & accuratè us-
que

que ad hanc diem infra scriptis aliis quadragesimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos, & Reverendissimos DD. Cardinales adversus hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super unaquaque ipsarum audivit.

PROPOSITIO XXIX.

IN die Jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Jejunium.

XXX.

Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione Jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum Jejunio.

XXXI.

Excusantur absolute à Præcepto Jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

XXXII.

Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lactinia in Quadragesima obliget.

XXXIII.

Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque Eleemosy-

synas, quas antea Beneficiarius de fructibus
sui beneficii fecerit.

XXXIV.

In die Palmarum recitans Officium Pascha-
le, satisfacit Præcepto.

XXXV.

Unico Officio potest quis satisfacere duplici
Præcepto pro die præsentis, & crastino.

XXXVI.

Regulares possunt in foro conscientiae uti
privilegiis suis quæ sunt expressè revocata per
Concilium Tridentinum.

XXXVII.

Indulgentiæ concessæ Regularibus, & re-
vocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

XXXVIII.

Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti
sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali,
confitendi quamprimùm, est consilium,
non Præceptum.

XXXIX.

Illa particula, *quamprimùm*, intelligitur,
cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.

XL.

Est probabilis opinio, quæ dicit esse tan-
tùm veniale osculum habitum ob delectatio-
nem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo
oritur, secluso periculo consensus ulterioris,
& pollutionis.

XLI.

Non est obligandus concubinarius ad eji-
ciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset
ad oblectamentum concubinariï, vulgo *Rega-
lo*, dùm deficiente illo nimis ægrè ageret vi-
tam, & aliæ epulæ tædio magno concubina-
rium afficerent; & alia famula nimis difficilè
inveniretur.

XLII.

Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem
exigere, si se obliget ad non repetendam for-
tem usque ad certum tempus.

XLIII.

Annum legatum pro Anima relictum,
non durat plus quam per decem annos.

XLIV.

Quoad forum conscientiaë, Reo correcto,
ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

XLV.

Libri prohibiti donec expurgentur, pos-
sunt retineri, usque dùm adhibita diligentia
corriganur.

Quibus maturè pensatis, idem Sanctissi-
mus statuit, ac decrevit prædictas Proposi-
tiones, & unamquamque ipsarum, ut mini-
mum, tanquam scandalosæ esse damnandas,
& prohibendas, sicut eas damnat, ac prohi-
bet. Ita ut quicumque illas, aut conjunctim,
aut divisim docuerit, defenderit, ediderit,
aut

aut de eis etiam disputativè, publicè aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus, Sanctæ Romanæ & Vniversalis Inquisitionis Not.

Loco † Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. JESU-CHRISTI millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, Indictione quarta, die verò 23. mensis Martii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, D. N. D. Alexandri, Divina Providentia Papæ VII. anno undecimo, suprascriptum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ,

ac

ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis, per me
 Carolum Melanum, ejusdem Sanctiss. D. N.
 Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

S. D. N.

ALEXANDRI Divinâ Providentiâ Papæ VII.
 Decretum, quo vetat censurâ Notari sen-
 tentiam de sufficientiâ attritionis ex metu
 gehennæ, alteramque de necessitate aliqua-
 lis dilectionis ad sufficientiam attritionis.

FERIA V. DIE V. MAII M. DC. LXVII.

S. D. N. ALEXANDER Papa VII. cum
 acceperit non sine gravi animi mærore
 Scholasticos quosdam acrius, nec absque
 fidelium scandalo inter se contendere, an illa
 Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ ex-
 cludens voluntatem peccandi cum spe veniæ,
 ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœ-
 nitentiæ requirat insuper aliquem actum dile-
 ctionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus
 aliis, & invicem adversam sententiam censu-
 rantibus. Sanctitas sua enixè cupiens pacis vin-
 culum inter fideles servari, omnemque scissuræ
 fomitem extinguere, auditis votis Eminentis-
 simorum ac Reverendissimorum DD. Cardi-
 naliū adversus hæreticam pravitatem gene-
 ralium Inquisitorum, nec non Dominorum
 Consultorum, & Qualificatorum sacræ Con-
 gre-

G

gre-

gregationis ejusdem generalis Inquisitionis, hoc præfenti Decreto in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ huic Sanctæ Sedi reservatæ, aliisque pœnis ejusdem Sanctæ Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis, & singulis fidelibus quocumque gradu, ac dignitate etiam Episcopali, & majori, imo, & Cardinalitiâ fulgentibus, ut si deinceps de materiâ Attritionis præfatæ scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut Scholares, cæterosve erudient, non audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ notâ taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualem dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur; sive afferentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum. Statuitque præterea Decretum hoc, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixum omnes ubique existentes arctare, & afficere, ac si unicuique personaliter fuisset intimatum.

*Franciscus Riccardus Sanctæ
Romane & Vniversalis
Inquisitionis Notarius.*

Locus † Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. JESU-CHRISTI
1667. indictione quinta, Die vero 7. Maii:
Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Pa-
tris & D. N. D. ALEXANDRI divinâ provi-
dentiâ Papæ VII. anno decimo tertio, supra-
dictum Decretum affixum & publicatum fuit
ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum &
in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis &
consuetis urbis, per me *Carolus Melanum* ejus-
dem Sanctiss. D. N. Papæ & Sanctiss. Inqui-
sitionis Cursorem.

S. D. N.

CLEMENTIS Divinâ Providentiâ Papæ IX.
Censura contra Librum Vulgo
dictum, Rituel d'Alet.

C L E M E N S

P A P A I X.

Ad Futuram rei memoriam.

CREDITÆ Nobis divinitus omnium Eccle-
siarum sollicitudinis ratio exigit, ut
ecclesiasticæ disciplinæ, cujus Custo-
des à Domino constituti sumus, ubique con-
servandæ jugiter incumbentes, omni cura,
atque vigilantia præcavere studeamus, ne quid

G 2.

in

in eam irreat, quo quomodolibet turbari aut à præscriptis ritibus aberrare, & via erroribus aperiri possit. Cum itaque (sicut Nobis innotuit) anno proximè elapso typis impressus, ac in lucem Parisiis editus fuerit Gallico idiomate liber, cui titulus est, *Rituel Romain du Pape Paul V. à l'usage du Diocèse d'Alet avec les instructions, & les rubriques en François*; in quo non solum continentur nonnulla ab ipso Rituali Romano jussu fel. record. Pauli Papæ V. prædecessoris nostri edito, aliena, sed etiam doctrinæ quædam, & propositiones falsæ, singulares, in praxi periculosæ, erroneæ, & consuetudini in Ecclesia communiter receptæ, atque ecclesiasticis Constitutionibus oppositæ, & repugnantes, quarum usu, & lectione Christi fideles in jam damnatos errores sensim induci, ac pravis opinionibus infici possent: Nos opportunum huic malo remedium adhibere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, librum sub titulo Ritualis Gallico idiomate editum præfatum, auctoritate Apostolica tenore præsentium omninò damnamus, reprobamus, & interdiciamus, ac pro damnato, reprobo, & interdicto haberi volumus, ejusque impressionem, lectionem, retentionem, & usum universis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, præsertim Civitatis

& Diœcesis Aletensis, cujuscumque gradus, conditionis, dignitatis, & præminentiae existant, licet de illis specialis, & individua mentio habenda foret, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ perpetuò prohibemus. Mandantes ut statim quicumque illum habuerint, vel in futurum quodcumque habebunt, locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus, qui verò Venerabili Fratri Episcopo Aletensi subsunt, Metropolitanano, aut uni ex vicinioribus Episcopis realiter, & cum effectu exhibeant, tradant, & consignent; qui nulla interposita mora exemplaria sibi tradita, & alia quæcumque habuerint igne comburant, & comburi faciant; In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ut autem præsentis literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, Volumus & auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, illasque sic publicatas omnes, & singulos quos concernunt, perindè afficere, & arctare, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent; Ipsarum verò præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus

Notarij publici subscriptis, & sigillo personarum in Ecclesiastica dignitate constitutarum munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud haberi, quae eisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die ix. Aprilis M. DC. LXVIII. Pontificatus nostri Anno Primo.

I. G. Slusius.

Anno à Nativitate D. N. JESU - CHRISTI 1668. Indictione sexta, die verò 17. Mensis Aprilis, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divinae Providentiâ Papæ IX. anno ejus Primo, supra dictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Curs.



S. D. N.

S. D. N.

CLEMENTIS Divina Providentia Papæ IX
Censura contra famosam versionem
Gallicam novi Testamenti.

C L E M E N S
P A P A I X.

Ad Futuram rei memoriam.

DEbitum Pastoralis officii, quo Eccle-
siæ Catholicæ per universum Orbem
diffusæ regimini, divina dispositione
præsidemus, exigit, ut Sacras Scripturas in
ea puritate, in qua per tot sæcula ingenti di-
vinæ bonitatis beneficio conservatæ fuerunt,
illibatas custodire omni studio, atque vigilan-
tia satagamus. Cùm itaque sicut ad aures no-
stras pervenit, liber quidam versionis Gallicæ
novi Testamenti, cui titulus est: *Le nouveau
Testament de nostre Seigneur JESU-CHRIST tra-
duit en françois selon l'edition vulgate avec les dif-
ferences du Grec*: Montibus Hannoniæ, &
Lugduni (ut inscribitur) typis impressus, ac
in lucem editus fuerit: Nos librum hujusmo-
di nonnullis Venerabilibus fratribus nostris
S. R. E. Cardinalibus, aliisque viris pietate,
doctrina, atque sapientia præstantibus, ma-
ture,

G 4

turè, quantum rei gravitas postulat, discutiendum, atque examinandum commisimus; quorum sententiis auditis, atque consideratis, eundem librum versionis Gallicæ novi Testamenti, ut supra, & ubicumque impressum, sive in posterum imprimendum, tanquam temerarium, damnosum, à vulgata editione prædicta difformem, & offendicula simplicium continentem, auctoritate Apostolica tenore præsentium damnamus, & prohibemus; ita ut nemo deinceps, cujuscumque gradus, & conditionis existat, etiam speciali, & specialissima nota dignus, sub poena excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, illum legere, retinere, vendere, aut imprimere, vel imprimi facere audeat, vel præsumat; sed sub eadem poena quicumque illum habent, locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus statim atque præsentis prohibitionis notitiam habuerint, exhibere teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ut autem præsentis litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus & auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, illasque sic publicatas

om-

omnes, & singulos quos concernunt, in Italia quidem post mensem, extrà Italiam verò post quatuor menses, à die publicationis hìc in Urbe faciendæ, numerandos, perinde afficere, & arctare, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent; Ipsarum verò litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem fidem in judicio, & extra illud haberi, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xx. Aprilis M. DC. LXVIII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

I. G. Slusius.

Anno à Nativitate D. N. JESU-CHRISTI 1668. Indictione sexta, die verò 23. mensis Aprilis, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ IX. anno ejus Primo, supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Curs.
DE-

DECRETUM

CIRCA COMMUNIONEM QUOTIDIANAM.

Datum Romæ 12. Februarii 1679.

CUm ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio pervenerit in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam in feria sexta Parascevæ, & simul affirmari eandem quotidianam Communionem præceptam esse à jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse; videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & Domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam ægrotò illis deferunt Sacerdotes sæculares, aut Regulares; alique in Communionem accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit S. Congregationi Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum, eadem S. Congregatio prævia matura discussione super prædictis unanimi

sen

sententia ità censuit: Etsi frequens, quoti-
dianusve Sacrosanctæ Eucharistiæ usus à SS.
Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus;
nunquam tamen, aut sæpiùs illam percipien-
di, aut ab ea abstinendi, certos singulis men-
sibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos
nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed
quasi humanam infirmitatem secum reputaret,
nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indi-
cavit, cùm inquit: Optaret quidem Sacro-
sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles
adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptio-
ne communicarent; Idque non immeritò;
multiplices enim sunt conscientiarum reces-
sus, variæ ob negotia spiritus alienationes,
multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvu-
lis concessa: quæ cum humanis oculis scruta-
ri non possimus, nihil certè de cuiusque dig-
nitate, atque integritate, & consequenter
de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis
esu potest constitui. Et propterea quod ad
negociatores ipsos attinet, frequens ad Sa-
cram alimoniam percipiendam accessus, Con-
fessariorum secreta cordis explorantium judi-
cio est relinquendus, qui ex conscientiarum
puritate, & frequentiæ fructu, & ad pieta-
tem processu Laicis negociatoribus, & Con-
jugatis, quod prospicient eorum saluti pro-
futurum, id illis præscribere debebunt. In
Con-

Conjugatis autem hoc ampliùs animadvertent,
 cùm B. Apostolus nolit eos invicem fraudari,
 nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacent
 orationi eos seriò admoneant, tanto magis
 ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam con-
 tinentiæ vacandum, puriorique mente ad
 Cœlestium Epularum Communionem esse
 conveniendum. In hoc igitur Pastorum dili-
 gentia potissimum invigilabit, non ut à fre-
 quenti, aut quotidiana Sacræ Communionis
 sumptione unica præcepti formula aliqui de-
 terreantur, aut sumendi dies generaliter con-
 stituantur, sed magis quid singulis permit-
 tendum per se, aut Parochos, seu Confessa-
 rios sibi decernendum putet; Illudque omni-
 nõ provideat, ut nemo à Sacro Convivio seu
 frequenter, seu quotidie accesserit repellatur;
 & nihilominus det operam, ut unusquisque
 dignè pro devotionis, & præparationis modo
 rariùs, aut crebriùs Dominici Corporis sua-
 vitatem degustet. Itidem Moniales quotidie
 Sacram Communionem petentes admonendæ
 erunt, ut in diebus ex earum Ordinis institu-
 to præstitutis communicent; Si quæ verò pu-
 ritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita
 incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quo-
 tidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione
 videri possint, id illis à Superioribus permit-
 tatur. Proderit etiam præter Parochorum, &

& Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos qui ad frequentiore, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negotiatores sint, sive conjugati sive quicumque alii suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini iudicii formidine discant cælestem mensam, in qua Christus est revereri; Et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Dioccesibus viget huiusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, & iudicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori, aut diligentia parcendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur. Quod abundè continget, si ii, qui devoto huiusmodi studio, divina præstante gratia tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentius refici

fici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint. Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cælesti Regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porrò Episcopi, & Parochi, seù Confessarii redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de jure divino, doceant in Ecclesiis, seù Oratoriis privatis, ex dispensatione, seù Privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in Crumena, aut secretò ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè, & cum pompa juxtà formam Ritualis Romani; Si verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria sexta Parascevæ, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur; Insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seù particulas, neque grandiores, sed consuetas, Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi,

&


& Confessarii etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributâ.

Et factâ de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præsens Decretum Typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c.

F. Card. Columna Præs.

*S. Archiëpisc. Brancaccius
Episc. Viterbiensis Secret.*

Die 15. mensis Februarii 1679. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit per Urbem ad valvas Curiaë, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Ægidium Felicem SS. D. N. PP. Cursorem. Pro D. Magistro Cursorum Gregorius Staggius Apost. Curs.



S. D. N.

S. D. N.

INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ XI
Decretum contra Propositiones 65. scan-
dalosas & in praxi perniciosas.

FERIA QVINTADIE II. MARTII M. DC. LXXIII

In Generali Congregatione S. ROMANÆ &
Universalis Inquisitionis Habitâ in
Palatio Apostolico Vaticano Co-
ram Sanctissimo D. N. D.

INNOCENTIO
DIVINA PROVIDENTIA
PAPA XI.

Ac Eminentissimis & Reverendissimis Dominis
S. R. E. Cardinalibus In totâ Republicâ Chris-
tianâ contra hæreticam pravitatem Generalibus
Inquisitoribus, à Sanctâ Sede Apostolicâ specia-
liter deputatis.

S Anctissimus D. N. Innocentius Papa XI
prædictus, ovium sibi à Deo creditarum
saluti sedulò incumbens, & salubre opus
in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab

innocentis à fel. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum profèqui volens, plurimas propositiones, partim ex diversis, vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deindè Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulò, & accuratè sæpiùs discussis, eorundem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis: Idem Sanctissimus D. N. re postea maturè consideratâ, statuit, & decrevit pro nunc sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimùm tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas vel exhibendas, ullatenùs approbare.

I. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantùm

H

uten-

utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxtà opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possumus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpâ, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali

11. Præ-

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in Secularibus invenies, etiã in Regibus, superfluum statui. Et itã vix aliquis tenetur ad eleëmofynam, quando tenetur tantũ ex superfluo statui.

13. Si cum debitã moderatione facias, potes absque peccato mortali de vitã alicujus triftari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentiã personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirũ ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias indè ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundũ se.

17. Satis est Actum fidei semel in vita elicere.

18. Si à potestate publicã quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus

sus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitiâ solùm probabili revelationis; immò cum formidine, quâ quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate mediæ, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex Testimonio Creaturarum similivè motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

25. Cum causâ licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis sive gravis.

26. Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab eâ, in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est,

est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisivâ, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quàm legatario contra injustè impediens, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter
de

defendere, sicut & jus habenti in Cathedram vel Præbendam contra eorum possessionem injustè impediendam.

34. Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne Puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem foetum, quamdiù in utero est, carere animâ rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solùm in extremâ necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub poenâ peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem Personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit

nu-

numerandâ, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quàm futuram, potest creditor aliquid ultrà sortem à mutuatorio exigere, & eo titulo ab usurâ excusari.

42. Usura non est, dum ultrà sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solùm, si exigatur tamquam ex justitiâ debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologiâ.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiã quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter

peccare, qui, nisi quos digniores & Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundò, locutione minus proprià ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugatâ, consentiente marito, non est adulterium; adeòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile coòperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præ-

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor, simul à diversis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio & Communio, etiam in his, qui gentilitèr vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Po-

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmò directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali, nostro vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis Domini Nostri JESU CHRISTI.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse. Quicumque autem cujusvis conditionis, status & dignitatis, illas vel illarum aliquam, conjunctim vel divisim, defenderit, vel ediderit, vel de eis disputativè, publicè aut privatim tractaverit vel prædicaverit, nisi forsitan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab aliquo quâcumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ

dientiae, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi Fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissimâ notâ dignis, nè prædictas Opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque imposterum se abstineant, & ut paci & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiae eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censurâ, & notâ, nec non à quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ super iisdem propositionibus judicium proferatur.

FRANCISCUS RICCARDUS *Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.*

Loco  Sigilli.

Anno


A Nno à Nativitate D. N. JESU-CHRISTI
 millesimo sexcentesimo septuagesimo
 nono, Indictione secunda, die verò 4. men-
 sis Martii, Pontificatus autem Sanctiss.
 Christo Patris, & D. N. D. INNOCENTI
 Divinâ Providentiâ Papæ XI. anno tertio
 supradictum Decretum affixum, & publica-
 tum fuit ad valvas Basilicæ Principis Aposto-
 lorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in atri-
 o Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & con-
 suetis Urbis per me Franciscum Perinum ejus-
 dem Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctissimæ
 Inquisitionis Cursorem.

V. D. I.

SYLLABUS.

- E** *Piscopi Castoriensis Epistola Pastoralis.* Pag. 1
 Pii V. Constitutio Ex omnibus afflictionibus, contra errores
Michaëlis Bay & aliorum,
 Mandatum Apostolicum jussu Sixti V. editum, occasione Censuræ
 Lovaniensis contra Assertiones quorundam S. Theol. Professorum
 Societatis JESU.
 Urbani VIII. Constitutio In eminenti, qua confirmatur Pii V.
 Gregorii XIII. Constitutio, contra errores Michaëlis Bay & alio-
 rum, & condemnatur Augustinus Cornelii Jansenii, &c.
 Urbani VIII. Decretum, quo exponitur adhibita ab ipso diligenter
 in asserenda veritate Constitutionis In eminenti, Roma recitata
 jussu in gratiam Doctorum Lovaniensium.
 Innocentii X. Decretum contra libros omnes, in quibus continetur
 propositio asserens equalitatem SS. Petri & Pauli. Inno

Innocentii X. Decretum contra libellum, cui titulus, Catechisme de la Grace.	41
Innocentii X. Constitutio Cum occasione, quâ damnantur ut hereticae Quinque Propositiones Corn. Jansenii Iprensis Episcopi	45
Innocentii X. Decretum, quo rursus damnatur Augustinus Corn. Jansenii, & Libri omnes scripti & scribendi ad ejusdem defensionem: ac denique fides omnis abrogatur prætenſis Actis quibusdam coram Clemente VIII. & Paulo V. uti & Pseudo-Bulle Pauli V. contra doctrinam Ludovici Molina	50
Alexandri VII. Constitutio Ad Sacram, quâ confirmatur Innocentii X. Constitutio Cum occasione, ac denuò condemnantur, ut hereticae, Quinque Propositiones Corn. Jansenii, & quidem, ut excerpta ex Augustino ejusdem, atque in sensu ab Autore intento.	60
Alexandri VII. Constitutio Regiminis Clero Gallicano formulam præscribentis, qua subscribere debeat constitutioni Ad sacram contra Quinque Propositiones Corn. Jansenii.	65
Alexandri VII. Decretum, quo damnantur Epistola Provinciales Ludovici Montaltii, &c. ac generatim libri omnes impressi, & imprimendi, continentes Doctrinam in Quinque Propositionibus Corn. Jansenii damnatam.	71
Alexandri VII. constitutio Cum ad aures, quâ damnatur gemina Censura Parisiensis contra Propositiones excerptas ex libris Jacobi Vernantii, & Amadei Guimenii pertinentes ad autoritatem Sedis Apostolicae, Directionem morum, &c.	78
Alexandri VII. Decretum prius adversus Propositiones scandalosas, & in praxi perniciosas.	84
Alexandri VII. Decretum Posterius adversus Propositiones scandalosas, & in praxi perniciosas.	92
Alexandri VII. Decretum de sufficientia Attritionis ex motu gehennæ, & de necessitate aliquæ dilectionis ad Sufficienciam Attritionis.	97
Clementis IX. Censura adversus librum vulgò dictum Rituel d'Alet.	99
Clementis IX. Censura adversus famosam versionem Gallicam Novi Testamenti	103
Innocentii XI. Decretum per sacram congregationem Interpretum Concilii Trid. circa communionem quotidianam	106
Innocentii XI. Decretum contra 65. Propositiones scandalosas, & in praxi perniciosas.	112



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several columns and appears to be a historical or legal document.

R
S
C
qu
I
in g
n
A




E III
206







E III
206







Th
2399



E. III

206